



Celebris Cyrilli Alexandrini formula christologica de una activitate Christi in interpretatione Maximi Confessoris et recentiorum theologorum.

Prima quaestio praevia ad Novam Apologiam papae Honorii I.

Prof. dr. I. Marić.

Quaestio de formula christologica Cyrilli Alexandrini, quam tractandam assumpsimus, deinde quaestiones: de celeberrima formula christologica Pseudo-Dionysii Areopagitae, quae unam Christi activitatem theandricam profitetur ac de ideologia christologica Theodosianorum seu Severianorum — praesertim si in lumine epistolae dogmaticae papae Leonis I. ad Flavianum, patriarcham Constantinopolitanum consideratur — illas efficiunt praevias quaestiones, sine quibus necque historia monotheletismi et monergetismi et multo minus famosa illa de papa Honorio I. controversia nec undequaue intelligi nec rite diiudicari possunt.

Theodosiani seu Severiani enim, uti ex concilio oecumenico sexto constat, unione facta cum Cyro, patriarcha Alexandrino a. 633., occasionem dederunt, qua contentio de una vel de duabus Christi voluntatibus et activitatibus saeculo septimo ex professo agitari coepta est atque inter Sergium, patriarcham Constantinopolitanum et Honorium I. papam tractata fuit. At Theodosiani iam principio saeculi sexti cum propria de Christi voluntate et activitate ideologia christologica apparent. Immo cum Theodosiani seu Severiani una ex parte successores sint eorum, quos historia cognomento Haesitantium esignivit, quia doctrinam concilii Chalcedonensis christologicam terminis »in dua-

bus naturis« expressam ut nestorianam proclamabant seseque ab Ecclesia separabant — et ex altera parte ideologiam propriam christologicam non tantum a Pseudo-Dionysio Areopagita sed etiam ab ipso Cyrillo Alexandrino et quidem principaliter derivare sese jactitant, dicendum, monothelismum non saeculo demum septimo, uti hucusque ab auctoribus communiter sustinetur, apparuisse, sed iam inde a medio saeculo quinto eum ortum esse.

Quibus positis monothelismi historia ducentis ferme annis ante exorditur, quam Sergii et Honorii epistolae conscriptae sunt, ita ut monothelismus saeculo sepximo, tempore Sergii et Honorii, potius in secunda, i. e. penultima iam periodo sua, et tempore synodi Lateransis a. 640. et concilii Constantinopolitani a. 680.—681. in tertia, i. e. ultima, periodo sua fuisse dicendus est.

Ut igitur possimus monothelismum, prouti saeculo septimo defendebatur aequae ac quaestionem de papa Honorio I. unde quaque intelligere et rite diiudicare, christologiam, quam supra dicti Theodosiani profiteantur, notam nobis esse oportet. Necesse est videre, quonam sensu seu quam ratione ad Cyrillum Alexandrinum et ad Pseudo-Dionysium Areopagitam provocant et quomodo eorum de voluntate et activitate Christi doctrina se habeat ad dictam epistolam dogmaticam Leonis I. ad Flavianum.

Quae res ab auctoribus, qui de monothelismo et de epistolis Sergii et Honorii tractant, nostra quidem scientia, neglecta fuisse videtur. Alioquin explicari non possit, quomodo v. gr. saeculo decimo sexto, decimo septimo et duodevicesimo — ab auctoribus protestantibus et graeco-orientalibus Russis hic praescindimus — Richter, Du Pin, cardinalis La Luzerne, Bossuetus et alii epistolas Honorii de haeresi arguere et quomodo iisdem saeculis v. gr. Pavinus, Bellarminus, Baronius, Pighius, cardinalis Sfondrati et alii asserere potuerint, epistolas papae Honorii interpolatas et corruptas esse.

Item dicendum de episcopo Hefele, quem cardinalis Rauscher, et episcopi Dupanloup et Strossmayer sequuntur in concilio Vaticano Romani Pontificis infallibilitatem ex epistolis papae Honorii impugnantes.

At etiam apologiae, quae de papa Honorio hucusque conscriptae sunt, et quoad rem i. e. quoad doctrinam in epistolis papae Honorii exponendam perfectiores et quoad modum loquendi clariores et concinniores essent, si auctoribus dictae quaestiones praeviae rite explicatae atque interpretatae praesto fuissent. Ex his auctoribus commemoramus vetustiores, id est qui ante concilium Vaticanum de eadem re scribebant, uti sunt cardinalis Turecremata, Melchior Canus, Argentré, Alexander Natalis, cardinalis Orsi et Litta, Scheeman; deinde illos recentiores et recentissimos auctores, qui vel tempore concilii Vaticani, uti est. v. gr. Pennachi, vel post idem concilium huic rei studebant, uti sunt Scheeben, Palmieri, Jungmann, Grisar, De San, Straub, Weiss et Sinther et tot alii recentissimi primae notae scriptores.

Qua de causa in ingenti hoc labore, cui per nonnullos annos operam dedimus, gradatim nobis procedendum putavimus. Primum scilicet omnes quattuor dictas quaestiones praevias elaboravimus. Quibus finitis facillima erat doctrinae christologicae, quae epistolis Sergii et Honorii inest, descriptio.

Duplex vero difficultas, uti notum est, in quaestione de papa Honorio I. resolvenda proponitur: una quidem ex ipsa doctrina, quae in epistolis papae Honorii I. expressa continetur, altera vero ex damnatione, qua Honorius in concilio sexto oecumenico percussus erat.

Interpretatio, quam de doctrina in epistolis Honorii expressa paravimus quamcumque apologiam papae Honorii I. superfluum omnino reddere videtur. Quod vero damnationem, qua Honorius in concilio sexto oecumenico percussus erat, attinet, interpretationem quoque nostram, cum infallibilitate Ecclesiae in facto dogmatico optime componi probatur.

Itaque iam ad primam quaestionem praeviam accedamus.*

Historia teste Unio Alexandrina, quam Cyrus, patriarcha Alexandrinus a. 663. cum magna illa Theodosianorum seu Severianorum fecerat secta—a qua concilium Chalcedonense propter verba »in duabus naturis« vehementer impugnabatur—quaeque celeberrimarum epistolarum Sergii et Honorii papae I. in concilio Constantinopolitano oecumenico VI. a. 680.—681. damnationi ansam praebuerat—Cyrilli Alexandrini auctoritati maxime innititur.¹

Circa Theodosiani seu Severiani, prout tum eorum scriptis tum praecipue ex can. 6. 7. et 9. eiusdem dictae unionis patet, sub influxu Cyrilli Alexandrini cum Pseudo-Dionysio Areopagita unam Christi theandricam activitatem professi sunt.² Quin immo post dictam unionem Cyrillus a monergetismi et monotheletismi fautoribus tanquam unius Christi activitatis propugnator inculcabatur. Ita Sergius, patriarcha Constantinopolitanus in litteris suis ad eundem Cyrum, de quo paulo prius mentionem fecimus, dum adhuc in Phaside (Sebastopolis) episcopi munere fungebatur, explicite provocat ad Cyrillum, quatenus idem unam Christi activitatem vivificam doceret.³ Quibus in litteris Sergius in mente habet commentarium, quem Cyrillus in Joannem 6,54 conscripserat et in quo idem Cyrillus de una Christi activitate revera loquitur.⁴

* Haec prima quaestio praevia partim iis innititur articulis, quos in hoc praesenti periodico a. 1918. n. 4. p. 280—297. et a. 1923. n. 3. p. 296—306. publicavimus.

¹ Mansi, Concilia, XI, 563—567; Hefele, Konziliengeschichte, Freiburg (B), 1877², 3, 138—140; 276—279; 283; 286; Tixeront, Histoire des dogmes, Paris 1912., 3, 162—163; 185.

² Mansi, Concilia, XI, 563—567. Nam ut summatim dicamus — scribit Pseudo-Dionysius Aeropagita ad Caium monachum — ne homo quidem erat (sc. Christus), non quod esset homo, sed quod ex hominibus natus, homines longe superaret, et supra hominem vere homo factus sit. Caeterum divina non qua Deus patrabat, neque humana quatenus homo gerebat; sed quatenus erat Deus et homo, novam quandam nobiscum conversando dei-virilem (*θεοανδρικὴν*) activitatem exhibebat. Migne, P. dr. 3, 1072—1074.

³ Mansi, Concilia, XI, 525.

⁴ Migne, P. gr. 73, 577.

Ad eundem commentarium provocat etiam P y r r h u s , patriarcha Constantinopolitanus et successor S e r g i i , dum in exilio erat, in sua cum M a x i m o C o n f e s s o r e disputatio-
ne.⁵ Itemque P a u l u s , P y r r h i successor in patriarchatu et
monotheletismi defensor, ad apologiam provocat, quam C y r i l l u s de propriis anathematibus contra N e s t o r i u m directis composuit, et in qua etiam de Christi voluntate loquitur
concludendo: »Itaque omnia sunt unius Christi, tum ea, quae
divina tum ea, quae humana sunt.«⁶ Tandem M a c a r i u s , patriarcha Antiochenus in concilio VI. oecumenico itera-
tis vicibus, in prima scilicet, octava et undecima sessione,
ostendere conatus est se suam de una Christi voluntate
et activitate doctrinam a Cyrilli scriptis hausisse. Ita v.
gr. in sessione octava professio fidei a M a c a r i o composita
legebatur, iuxta quam incarnatum Verbum divinum novam
quandam theandricam activitatem et quidem ex toto
vivificam monstravit. Et in sessione undecima eiusdem
concilii libellus citabatur a M a c a r i o compositus, in quo una
et sola divina agnoscebatur voluntas⁷.

Apud Cyrillum Alexandrinum nempe in memo-
rato commentario legimus Christum in resuscitatione filiulae
principis synagogae »unam et eandem (συγγενῆ)...
activitatem manifestasse⁸.

Una igitur ex parte Unio Alexandrina et postea decursu
temporis monergetismi et monotheletismi asseclae, uti vidi-
mus, ad citatum Cyrilli textum provocant. Ex altera vero
parte theologi in expositione eiusdem textus minime concor-
des sunt. Omnes enim theologi catholici Cyrillum loco ci-
tato minime unam et eandem activitatem sensu
physico exprimere praesupponunt; sed in determinando

⁵ Mansi, Concilia, X, 752. Migne, P. gr. 91, 344.

⁶ Mansi, Concilia, X, 1025; Migne, P. gr. 76, 413.

⁷ ἀλλ' ἐνανθρωπήσας Θεὸς Λόγος καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν, καὶ ταύτην ὅλου ζῶσοιδῶν ἐπιδείκνυται. Mansi, Concilia, XI, 353, 316; 516—517; Migne, P. gr. 76, 1136.

⁸ Migne, 73, 577. Terminum συγγενῆ iuxta editionem Migne in »eandem« traduximus. Quam traductionem Cyrilli Alexandrini orthodoxiae minime obstare ex dicendis evidentissime apparebit.

sensu positivo et adaequato integri eiusdem textus iidem auctores quam maxime dissentiunt.

Interest ergo scire, quomodo Cyrillus Alexandrinus in commentario citato intelligendus sit, quonam scilicet sensu de una et eadem Christi activitate loquatur. Et facta adaequata exegesi eiusdem textus facilis erit responsio ad quaestionem connexam, utrum nempe Unio Alexandrina et monergetismi et monotheletismi asseclae Cyrillum bene intellexerint et iure ad eundem provocaverint.

Qua de causa quaestionem nostram in duas dividimus partes. In prima textus de una Christi atque eadem activitate expositionem dare conabimur, in altera vero explicationes tum ab auctoribus catholicis tum protestantibus datas crisi subiiciemus, e quibus tamen aliquos tantum speciminis gratia afferemus, uti v. gr. ex veteribus, scilicet Patribus, Maximum Confessorem, e recentibus autem protestantes: Krüger et Harnack, et catholicos: Petavium, Scheeben, Stentrup, Schwane, Rehrmann, Straubinger, Lebon, Tixeront, Pesch, Bardenwer, Bartmann, et Vidauer.

I.

Ante omnia superfluum nobis videtur totam Cyrilli christologiam exponere cum eadem recentissimis temporibus sufficienter nota facta sit⁹. Sufficit hic in memoriam revocare

⁹ Schell, *Katholische Dogmatik*, Paderborn, 1892, 3(I), 34—35. Schwane, *Dogmengeschichte*, Freiburg (B), 1895², 2, 341—351; Rehrmann, *Christologie des hl. Cyrillus von Alexandrien*, Hildesheim, 1902; Junglas, *Leontius von Byzanz*, Paderborn, 1908; *Leontius und Cyrill von Alexandrien*, 133—140; Lebon, *Le monophysisme sévérien*, Lovanii, 1909; Bardenhewer, *Patrologie*, Freiburg (B), 1910³, 230—239; Tixeront, *Histoire des dogmes*, Paris, 1912, 360—370; Manuci, *Istituzioni di patrologia*, Roma, 1923, 124—134; *Dictionnaire de théologie catholique*, Paris, 1923, 3, 2476—2527. (J. Mahé). — E graeco-orientalibus Russis vide Globukovski, *Богословская энциклопедия (Bogoslovskaja enxiklopedija)*, S. Petersburg, 1909, 10, 246—279; Т. Лященко Св. Кирилль, Киевъ, 1913. — E protestantibus vide Dörner, *Entwicklungsgeschichte der Lehre von der Person Christi*, Berlin, 1853, 60—86; *Leontius von Byzanz und die gleichnamigen Schriftsteller der griechischischen Kirche*, Leipzig, 1887, 3, 1—2; Hauck, *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*, Leipzig, 1898, 4, 401—413; Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, Tübingen, 1909, 349—368.

ideas principales et fundamentales, in quibus exponendis insistimus, ut Cyrilli textum de una Christi activitate undequaque intelligere et bene interpretari possimus.

In exponenda vero et diudicanda Cyrilli Alexandrini christologia duo potissimum prae oculis habenda sunt, e quibus alterum Cyrilli ideologiam christologicam, alterum eiusdem terminologiam attinet.

Cyrillus nempe Alexandrinus totus in eo est, ut contra Nestorianos praecipue rationibus soteriologicis ductus a absolutam unitatem et identitatem Verbi Divini et Christi extollat. Terminologiam vero quod attinet, dicendum est Cyrillum Alexandrinum terminos „φύσεις“ et „ὑπόστασις“ pro synonymis habere. Terminus scilicet φύσεις secundum Cyrillum minime essentialiam specificam significat, qua unum ens ab alio distinguitur, sed ens concretum, quod existentia propria gaudet, id est, individuum, subiectum, personam, hypostasim. Confiteri igitur cum Nestorianis duas Christi φύσεις significat confiteri duos Filios i. e. duas personas, quae seorsim existunt: quod est negare unionem hypostaticam.

Qua de causa Cyrillus Alexandrinus libentissime formula christologica *μία φύσις τοῦ Θεοῦ λόγον σεσαρωμένη* utebatur. Quae formula christologica nullo modo essentialiam specificam; multo etiam minus talem, quae ex mixtione quadam divinitatis Christi et humanitatis orta esset, sed unice et super omnia unitatem individua-lem Verbi incarnati designat.

Sed temporis decursu Cyrillus cum Nestorio eiusque asseclis maximas ingressus pugnas, terminologiam suam christologicam aliquantisper modificare coactus est. Cum enim Cyrillus Alexandrinus a Nestorianis de Apollinarismo accusaretur, in defensionibus suis etiam duas Christi φύσεις concessit, ut inter Verbum et humanitatem ipsius differentiam specificam assignet. Quod Cyrillus promptissime fecit extollendo divinitatem et humanitatem essentialiter distinctas et impermixtas existere et partes constitutivas unius eiusdem Christi efficere-quod

tamen eiusdem Cyrilli opinione unice formula christologica *μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη* optime exprimitur.

Eodem omnino modo Cyrillus terminologiam suam, quae unionem inter Verbum et humanitatem respicit, contra Nestorianos explicare et defendere coactus est. Cyrillus nempe unionem inter Verbum et humanitatem terminis exprimit uti sunt *ἔνωσις φυσική, ἔνωσις κατὰ φύσιν, καθ' ὑπόστασιμ, καθ' οὐσίαν*.¹⁰ Ita Cyrillus v. gr. contra Theodoretum Cyprensem scribit: „*καθ' ὑπόστασιμ* unionem dicimus factam, verbo hoc *καθ' ὑπόστασιμ* nihil aliud demonstrante nisi solum Verbi naturam seu hypostasim, quod est ipsum Verbum, humanae naturae vere (*κατὰ ἀλήθειαν*) unitam esse sine ulla conversione atque confusione, sicuti saepissime diximus, unum intelligi et esse Christum, eundem Deum et hominem.¹¹ Et in apologia pro XII capitibus contra Orientales: »Non igitur confundentes *τὰς φύσεις* neque ipsas inter se miscentes, sicuti dicunt adversarii, physicam (*φυσικήν*) dicimus factam esse unionem sed ex duobus rebus dissimilibus, deitate, inquam et humanitate, unum factum esse Christum et Filium . . . ubique affirmamus. Demum cum Apollinarii dogmatis plane nihil nobis commune est.«¹²

Hisce suppositis atque praenotatis ad ipsa summa capita christologiae a Cyrillo propositae transeamus.

Cyrillus imprimis contra Docetas realitatem et contra Apollinaristas integritatem naturae Christi humanae propugnat¹³. Christus est perfectus in divinitate (*τέλειος ἐν θεότητι*) et perfectus in humanitate *τέλειος ἐν ἀνθρωπότητι* . . . ex duobus perfectis divinitate nimirum et humanitate in unum atque eundem admirabiliter copulatus¹⁴. Christus enim Patri secundum divinitatem, nobis secundum humanitatem consubstantialis (*ὁμοούσιος*) est¹⁵. Idem Christus non assumpsit hominem (*οὐκ . . . ἀνέλαβεν ἄνθρω-*

¹⁰ Migne, P. gr. 75, 405, 408; 76, 77, 120, 405; 77, 76, 120, 1453.

¹¹ Migne, P. gr. 76, 401, 1300; 77, 45.

¹² Migne, P. gr. 76, 332, 405.

¹³ Migne, P. gr. 74, 768; 75, 1261; 76, 396, 1193; 77, 45.

¹⁴ Migne, P. gr. 72, 768; 75, 1220; 77, 244.

¹⁵ Migne, P. gr. 77, 172, 177, 178, 192, 308.

οπον) sed factus est homo (γέγονεν ἄνθρωπος) ¹⁶. Humanitas Christi, quam Cyrillus termino σάρξ appellat, non erat alterius cuiuspiam « sed ipsius eiusdem ¹⁷ ». In uno eodemque Christo divinitas et humanitas in propria integritate impermixtae et inconfusae (ἀτρέπτως, ἀσυγγχόνως, ἀμεταβλήτως ἀναλλοιώτως) coexistunt ¹⁸. Et quamvis Christus subiectum sit tum divinae tum humane naturae, tamen tantopere inculcat Cyrillus - in duos Filios non est dividendus, cum unus idemque Deus simul et homo sit - quemadmodum etiam homo, licet ex anima ex corpore constituitur, non tamen duo, sed unus tantum ex utroque esse intelligitur ¹⁹. Christus enim unus idemque est ante incarnationem et post incarnationem ²⁰. Unus ergo ait Cyrillus - in epistola ad Succensum episcopus - est Filius, unus Christus et ante incarnationem et post incarnationem. Non enim alter (ἕτερος) Filius erat . . . ex Deo Patre Verbum, alter (ἕτερος) ex Virgine natus, sed idem ille, qui ante saecula erat, etiam secundum carnem ex muliere natus creditur ²¹. Non est igitur discernendus unus . . . Christus in hominem seorsum (εἰς ἰδικῶς ἄνθρωπον) et seorsum in Deum (εἰς Θεὸν ἰδικῶς), sed unum eundemque . . . Christum esse dicimus . . . ²² Non enim verba sunt Cyrilli in homilia in festum Palmarum - alius (ἄλλος) erat, qui . . . ex Patre genitus est, et alius (ἄλλος), qui in Betlehem ex matre est incarnatus ²³. Quomodo exclamat Cyrillus - christiani esse possunt dicentes alium (ἄλλον) esse Filium et alium (ἄλλον) Dei Verbum ²⁴.

¹⁶ Migne, P. gr. 76, 408.

¹⁷ Migne, P. gr. 75, 1224, 1273, 1357; 76, 232, 302.

¹⁸ Migne, P. gr. 75, 1249, 1289, 1292; 76, 33, 129, 132, 320, 328, 396, 1340; 77, 45, 109, 193, 225, 232, 241.

¹⁹ Migne, P. gr. 72, 484, 556, 864, 893; 74, 157, 754, 1005; 75, 332, 1208, 1220, 1245, 1261; 76, 85, 161, 257, 332, 337, 340, 343, 368, 401, 405, 413, 417, 1116, 1157, 1160, 1340, 1453; 77, 27, 46, 116, 177, 192, 213, 225, 230, 232.

²⁰ Migne, P. gr. 74, 152; 75, 1224, 1385; 76, 328; 77, 229.

²¹ Migne, P. gr. 73, 70, 249; 76, 344, 1141, 1153; 77, 230, 232, 308.

²² Migne, P. gr. 68, 593; 72, 484; 74, 1005, 1385.

²³ Migne, P. gr. 76, 161; 77, 1061.

²⁴ Migne, P. gr. 76, 325.

Ex dictis ideis christologicis fundamentalibus Cyrillus conclusiones maximi momenti deducit. E quibus illarum tantum mentionem facimus, quae ad quaestionem a nobis propositam directe pertinent.

Deus-ait Cyrillus-factus est homo, ut pro nobis tum corpore tum anima sua pateretur et in cruce moreretur.²⁵ Pulchre autem scribit Cyrillus ad Theodosium imperatorem per utramque partem oeconomiae mysterium perfecit: carne sua tanquam organo ad carnis opera naturalesque aegritudines, ac caetera officia irreprehensibilia; anima vero ad humanas et inculpatas affectiones²⁶. Jam vero-argumentatur Cyrillus-iuxta Nestorianos generis humani redemptio locum non habuit, cum purus homo, quem Nestoriani in Christo dividunt et separant a Verbo Dei, non est capax ad satisfaciendum neque ad salutem generis humani obdinendam²⁷.

Magni momenti conclusio quoque est, quam Cyrillus ratione unitatis subiecti i. e. ratione unitatis hypostaticae respectu habito ad Christi naturam humanam deducit.

Cyrillus scilicet saepissime inculcat carnem i. e. humanitatem Christi ratione suae cum Verbo unionis vivificae praeditam esse ita ut Christus in sanationibus miraculosis etiam humanitate utebatur²⁸.

Quod vero voluntatem et activitatem Christi attinet, dicendum a Cyrillo Alexandrino duas voluntates uti etiam duas activitates sensu materiali certissime propositas esse. Dicimus: sensu materiali, cum Cyrillus ob rationes tum ideologicas tum terminologicas termino *δύο* minime utebatur. Cyrillus nempe, uti vidimus, totus in eo est, ut contra Nestorianos unum idemque principium quod voluntatis Christi et activitatis extollat. Principia vero quibus voluntatis et activitatis Christi Cyrillus in operibus potius divinis et humanis a Christo perpetratis supponit.

²⁵ Migne, P. gr. 72, 389; 75, 1357; 76, 97, 101, 104, 1212; 77, 48, 121.

²⁶ Migne, P. gr. 76, 1163.

²⁷ Migne, P. gr. 75, 332, 397, 1268—1269, 1357; 76, 236, 269, 452, 1208, 2193, 1296; 77, 37,

²⁸ Migne, P. gr. 75, 1241; 76, 1117, 1192.

Ita humanam Christi voluntatem Cyrillus omnibus illis attingit Scripturae locis, iuxta quos Patris sui coelestis voluntati propriam voluntatem Christus submittit²⁹. Tu verosic Cyrillus ad Lucam 5, 12, ubi de viri leprosi sanatione sermo est — mecum in hoc admirare divinitus (*θεϊκῶς*) simul corporaliterque (*ἅμα καὶ σωματικῶς*) Christum operantem. Est enim divinum ita velle, ut ei praesto sint quaecumque velit; humanum autem est manum extendere. Unus ergo ex duobus intelligitur Christus, quandoquidem Verbum caro factum sit³⁰. Porro in interpretatione epistolae Pauli ad Haebreos idem Cyrillus in hunc modum verba facit: »Quod si (sc. Christus) nos per aquam et Spiritum perfecit, nonne divinitus simul et humanitus operabatur idem existens et tanquam in uno (sc. subiecto) Deus et homo.«³¹ Factus est igitur — ita in epistola citata ad Succensum episcopum — homo, non hominem assumpsit uti Nestorio placet. Atque ut homo factus credebatur licet id quod erat permanserit nimirum Deus secundum naturam, idcirco et esurire dicitur et ex itinere fatigari, perferre etiam somnum, perturbationem, tristitiam caeterasque humanas atque irreprehensibiles passiones. Contra, ut eos, qui ipsum viderent, certos faceret se, cum esset homo, etiam verum Deum esse, efficiebat miracula divina, nimirum: mare increpabat, mortuos excitabat, aliaque opera admirabilia exequabatur³². Similiter in defensione quarti anathematis ad Theodoretum Cyrensem: »Itaque omnia sunt unius Christi tum ea, quae divina (*τὰ τε θεοπρεπῆ*) tum ea, quae humana (*καὶ τὰ ἀνθρώπινα*) sunt.³³ Immo in commentario in Lucam 5, 33. de duobus principiis quibus activitatis in Christo existentibus expressis verbis loquitur. En verba eius: »Ostenditque (sc. Christus) duplicem activitatem (*διπλὴν τῆν ἐνέργειαν*), patiens ut homo, agens ut Deus semper idem. Non enim est

²⁹ Migne, P. gr. 69, 1169; 72, 456; 73, 532.

³⁰ Migne, P. gr. 72, 556.

³¹ Migne, P. gr. 74, 1005.

³² Migne, P. gr. 77, 236.

³³ Migne, P. gr. 76, 413.

alius et alius (ἄλλος καὶ ἄλλος) sed aliter atque aliter (ἄλλως καὶ ἄλλως).³⁴

Cyrillus igitur monophysita nullo modo aestimari potest. Qui, uti supra memoravimus Nestorianos acriter confutabat contraque eos ratione soteoriologica ductus a absolutam unitatem et identitatem subiecti in Christo defendebat. Quae ideologia — sive eam metaphysicam sive potius cum Harnack³⁵ et Tixeront³⁶ religiosam habeas, secundum Cyrilli opinionem formula christologica *μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη* optime exprimi credebatur.

Secundum Dörner Cyrillus humanitatem Christi minime substantiam esse docuit — sed ad summum complexum accidentium, quae Logos sibi adiunxit ita, ut incarnatio ad insubstantiationem reducenda sit³⁷. Secundum Harnack vero Cyrillus Christum hominem individualem esse negat, immo omnia humanitatis vestigia a Christo tollit. Quapropter Cyrillum monophysitis adnumerat³⁸.

³⁴ Migne, P. gr. 72, 937.

³⁵ Aber gewiss hat er... den Glaubensgedanken der griechischen Frömmigkeit vertheidigt (»Hat der Gott-Logos nicht menschlich für uns gelitten, so hat er unser Heil nicht göttlich bewirkt, und war er nur Mensch oder blosses Instrument der Gottheit, so sind wir nicht wahrhaft erlöst«... Op. c. p. 350.

³⁶ Sont point de vue est moins métaphysique que religieux. C'est, nous sauver: il faut pour cela que le Verbe de Dieu, que lui-même naisse, souffre et meure pour nous. Op. c. p. 79.

³⁷ Sie (sc. menschliche Natur) hat ihm (sc. dem göttlichen Zentrum) also keine eigene Substanz, die göttliche ist an ihre Stelle getreten, sie dauert fort als Complex von Accidentien die einzig durch den Logos als Mittelpunkt zusammengehalten werden... Man kann daher nicht eigentlich von einer Verwandlung oder Transsubstantiation der menschlichen Substanz in die göttliche bei Cyrill sprechen, wohl aber von einer Insubstantiation nicht bloß Enypostasierung derselben in dem Logos. Op. c. p. 77 et p. 82.

³⁸ Hier ist es vielmehr das Charakteristische, das Cyrill die Ansicht, in Christus sei ein individueller Mensch vorhanden gewesen, ausdrücklich verwirft, obgleich er alle Bestandtheile des Menschenwesens Christus zuricht. Op. c. p. 351. Der Sache nach sind alle Auffassungen als monophysitische resp. apollinaristische zu bezeichnen, welche die Vorstellung ablehnen, Christus sei ein individueller Mensch gewesen... Op. c. p. 352.

Utramque sententiam, uti ex dictis patet, tanquam falsam et contradictoriam reiicimus, cum ideologia soteriologica Cyrilli praecise Christum Deum et hominem individualem, uti ex innumeris locis patet, evidentissime affirmet.

Iidem protestantes etiam ad exemplum ex unione animae et corporis desumptum provocant, quo Cyrillus unionem divinitatis et humanitatis in Christo illustrabat. Eodem modo uterque hoc quoque urgent: a Cyrillo humanitatem Christi *ὄργανον* seu purum instrumentum divinitatis habitam esse³⁹.

At ille ex unione animae et corporis exemplo desumpto utitur saepissime ad unionem divinitatis et humanitatis illustrandam. Unde patet illum hoc exemplo aequae ac aliis ea usum esse ratione, qua universim exemplis, imaginibus, comparationibus utimur, i. e. ad similitudinem aliquam atque analogiam demonstrandam, quae inter utrumque comparationis terminum intercedit. Imagine igitur ex unione corporis et animae desumpta, nihil aliud Cyrillus efficere putandus est, nisi, quantum fieri potuit, intimam illam unionem divinitatis et humanitatis, quae semper inconfusa et impermixta in eadem unione concipiuntur, collustrare⁴⁰. Terminus vero *ὄργανον* quō Cyrillus humanitatem Christi quandoque appellat, relative et improprie intelligi debet et magis est sensu negativo quam positivo interpretandus. Cyrillus enim, uti constat, humanitatem Christi ut verum indivisum et impermixtum principium quo operationis humanae praesupponit. Eadem humanitas Christi teste Cyrillo instrumentum esse sensu proprio, si cum Nestorianis purus homo, distinctus a Verbo atque alius ab alio admitteretur⁴¹. Humanitas igitur Christi a Cyrillo *ὄργανον* seu instrumentum vocatur, in quantum non est principium quod propriae operationis,

³⁹ Ita v. gr. Dörner: »Er sc. Cyrillus) meinte, die Incarnation um so würdiger zu denken, wenn sie nicht einen wirklichen, den wahren Menschen setzt, der zugleich Gott ist, nicht aber ein blosses *ὄργανον* Gottes. Op. c. 80. Harnack, Op. c. 426.

⁴⁰ Migne, P. gr. 75, 1357, 1380; 76, 81, 337; 77, 116, 233. Schanne, op. c. 348. Tixeront, Op. c. 75.

⁴¹ Ἀλλ' ἐπειρ ἐστὶν ὁ Χριστὸς οὕτε Υἱὸς ἀληθῶς, οὕτε μὴν φῶσει Θεός, ἄνθρωπος δὲ φίλος καθ' ἡμᾶς, καὶ θεότητος ὄργανον, σεσῶσμεθα μὲν οὐκ ἐν Θεῷ... Migne. P. gr. 77, 37.

cum operationes eius a Verbo utpote unico principio quod procedere et ab eodem dirigi intelliguntur.

Etiamsi igitur Cyrillus ad exprimendas suas ideas christologicas terminologia monophysitica usus est, tamen eiusdem christologia cum Concilii Chaldonensis christologia plane congruit.

Et multo minus idem Cyrillus de monothelismo argui potest, uti ex dictis patet et ex expositione incriminati textus, quam allaturi sumus, evidentissime comprobatur.

Relinquitur proinde nobis, ut textum ex commentario Cyrilli in Joannem, 6.54 cum citata clara Cyrilli de Christi naturis, voluntate et activitate doctrina componamus.

Ad meliorem vero textus citati intelligentiam necesse est tum ad immediatum tum ad mediatum recurrere contextum.

Audiant igitur — ait Cyrillus — qui fidem in Christum praevecordia non susceperunt. Nisi enim manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in nobis. Expertes enim et vacui plane vitae quae sanctitate et felicitate est, remanent, qui per mysticam eulogiam Filium non susceperunt. Vita est enim est enim (sc. Christus) secundum naturam, in quantum et ex vivente Patre genitus est, sed nihilominus etiam corpus eius coniunctum aliquo modo et Verbo cuncta vivificanti ineffabiliter unitum vivificum est; idcirco eius esse reputatur ac unum cum ipso.⁴² Indivisus est enim post incarnationem, praeterquam quod sciendum est, non esse idem natura quod procedit a Patre cum templo quod est ex Virgine; corpus enim non est consubstantiale Verbo Divino sed unum coniunctione et incomprehensibili unione.⁴³ Et quoniam caro Salvatoris vivifica facta est, utpote unita vitae secundum naturam, Verbo scilicet Divino,

⁴² Ζωὴ μὲν γὰρ κατὰ φύσιν ἐστὶ, καθὼ καὶ ἐκ ζῶντος ἐγεννήθη Πατρός· ζωοποιὸν δὲ οὐδὲν ἦτιον καὶ τὸ ἄγιον αὐτοῦ σῶμα, συνενηρημένον τρόπον τινὰ καὶ ἀδόξως ἐνωθὲν τῷ τὰ πάντα ζωογονοῦντι Λόγῳ. Διὸ αὐτοῦ λελόγησται, καὶ ὡς εἰς νοεῖται σὺν αὐτῷ. Migne, P. gr. 73, 577.

⁴³ Ἀδιαφρατος γὰρ περὶ τὴν ἐνανθρώπησιν, πλὴν ὅσον εἰς τὸ εἰδέναι τὸν ἐκ Θεοῦ Πατρός ἦγοντα Λόγον, καὶ τὸν ἐκ τῆς Παρθένου γαδόν, οὐ ταυτῶν μένοντα τῇ φύσει, οὐ γὰρ ὁμοούσιον τῷ ἐκ Θεοῦ Λόγῳ τὸ σῶμα, ἐν δὲ τῇ συνόδῳ καὶ ἀπερινοήτῳ συνδρομῇ. Migne, 73, lb.

quando illam degustaverimus, tunc uniti etiam nos cum ea vitam habebimus in nobis, quemadmodum ipsa (sc. caro unita) Verbo inhabitanti.⁴⁴ Hanc enim ob causam etiam in suscitandis mortuis non solum verbo et iussis omnipotentibus Salvator operatur, sed sanctam suam carnem cooperatricem constanter ad hoc potissimum adhibebat, ut monstraret illam vivificare posse et unum quid cum ipso iam factam esse; etenim proprium eius nec alterius corpus est.⁴⁵

Unde — ait Cyrillus — uti notavimus — cum filiolam principis synagogae suscitavit dicens: Filia, surge, apprehendit manus eius, ut scriptum est: vivificans tum ut Deus omnipotenti iussu, tum tactu quoque sanctae carnis vivificans unam et eandem per utrumque manifestavit activitatem.⁴⁶

Priusquam tamen celebrem hunc textum Cyrilli analysi subiecerimus, finiamus oportet citando integram pericopem textus, cum nobis ad plenam intelligentiam textus omnino necessaria appareat.

Praeterea — prosequitur Cyrillus — cum in civitatem, quae vocatur Naim, adveniret, et efferetur mortuus filius matris, iterum tetigit loculum dicens: Adolescens tibi dico surge. Itaque non solo verbo mortuos excitari vult, sed ut monstraret, corpus proprium vivificare posse, ut iam diximus, mortuos tangit et per idem iam corruptis vitam immittit.

Quod si solo tactu — concludit Cyrillus reasumendo — sanctae carnis id quod corruptum est vivificatur, quomodo

⁴⁴ καὶ ἐπειπερ ζωοποιὸς γέγονε τοῦ Σωτῆρος ἡ σὰρξ, ἅτε δὴ τῇ κατὰ φύσιν ἠνωμένη ζωῇ, τῷ ἐκ Θεοῦ δηλονότι Λόγῳ, διὰν αὐτῆς ἀπογευσόμεθα, τότε τὴν ζωὴν ἔχομεν ἐν ἑαυτοῖς συνενοόμενοι καὶ ἡμεῖς αὐτῇ, καθάπερ οὖν αὐτὴ τῷ ἐνοικῆσαντι Λόγῳ. Migne, Ib.

⁴⁵ Διὰ γὰρ τοι τοῦτο καὶ ἐν τῷ τοῦ νεκροῦς διανοιστῆν οὐ λόγῳ μόνον οὐδὲ τοῖς θεοπρεπέσιν ἐπιτάγμασιν ὁ Σωτὴρ ἐνεργῶς. ... ἀλλὰ συνεργάτην ὡπερ τινὰ πρὸς τοῦτο δὴ μάλιστα τὴν ἀγίαν αὐτοῦ λαμβάνειν ἠπειλεῖτο σάρκα, ἵνα δεικνύῃ ζωοποιεῖν δυναμένην, καὶ ὡς ἐν ἤδη γεομένην πρὸς αὐτὸν καὶ γὰρ ἦν ὄντως ἴδιον αὐτοῦ, καὶ οὐχ ἕτερον τὸ σῶμα. Ib.

⁴⁶ ... ζωοποιῶν μὲν ὡς Θεός, τῷ παντοδραγῶν προστάγματι ζωοποιῶν δὲ αὐτὸ πάλιν, καὶ διὰ τῆς ἀφῆς τῆς ἀγίας σαρκὸς, μίαν τε καὶ συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδείκνυσι τὴν ἐνέργειαν. Ib.

non assequemur ditiores vivificam beatitudinem, cum eam (carnem) etiam degustaverimus. Eos enim, qui illam gustaverint, proprii sui boni scilicet immortalitatis participes reddet.⁴⁷

Parum cum theologorum negativa et multo minus cum positiva eorundem explicatione citati textus de una et eadem activitate Christi contenti novam eiusdem textus exegesim proponere decrevimus.

Et cum neque concilium Lateranense a. 640. neque Concilium Constantinopolitanum ec. CI. a. 680.—681 contra Monophysitas alexandrinis et monothelitas citati textus genuinum sensum nobis dederint, libera nobis relinquitur via ad inveniendam et rite determinandam textus nostri exegesim et quidem eo magis quia haec exegesis rei veritati, ideologiae Cyrilli Alexandrini eiusdemque termoninologiae, qua in christologia utebatur, undequaque correspondere nobis videtur.

Gradatim procedendo videamus igitur primo, quid Cyrillus verbis illis »unam et eandem activitatem... affirmare noluerit.

Quae verba unam et eandem activitatem physicam — i. e. ab una Christi natura, ex mixtione divinitatis et humanitatis orta, procedentem nullo modo significare dicenda sunt. Multo minus Cyrillus unam et eandem activitatem eo sensu in mente habuit, ac si elementum humanum in Christo in eius divinitate absorptum fuisset. Interpretatio enim huius textus secundum quam Cyrillus in Christo non solum unum principium quod, sed etiam unum principium quo activitatis praesupposuisset, contradicit, ut ex dictis patet, doctrinae, quam Cyrillus de relatione humanitatis ad divinitatem in genere et de duplici voluntate et activitate Christi in operibus suis exhibet. Talis interpretatio opponitur

⁴⁷ Καὶ οὐ μόνον δίδωσιν ἐνεργεῖν τῷ λόγῳ τὴν τῶν νεκρῶν ἀναβίωσιν ἀλλ' ἵνα δείξῃ ζωοποιὸν τὸ ἴδιον σῶμα, καθάπερ οὖν ἤδη προείπομεν, τῶν τεθνεώτων ἀπτεται, καὶ δι' αὐτοῦ τὴν ζωὴν ἐπιτελεῖς τοῖς ἤδη κατεφθαρμένοις. Καὶ εἰ διὰ μόνης ἀφῆς τῆς ἁγίας σαρκὸς ζωοποιεῖται τὸ ἐφθαρμένον, τὼς οὐχὶ πλουσιωτέραν ἀποκερθανοῦμεν τὴν ζωοποιὸν ἐδλογίαν, ἅταν αὐτῆς καὶ ἀπογευσώμεθα. Μεταποιήσει γὰρ πάντως εἰς τὸ ἴδιον ἀγαθόν, τοῦτ' ἐστὶ, τὴν ἀθανάσιαν, τοὺς μετεσχηκότας αὐτῆς. Migne, P. gr. 73, 580.

contextui mediato, in quo Cyrillus tum divinitatem tum humanitatem tanquam duo distincta et indivisa principia quo aequali modo extollit. Verbum, quod procedit a Patre — ait Cyrillus — non est idem natura cum templo quod est ex Virgine; corpus enim non est consubstantiale Verbo Divino sed unum coniunctione et unione incomprehensibili. Eadem interpretatio in oppositione esset cum contextu immediato et quidem tum antecedenti tum consequenti, in quo Cyrillus humanitatem aequae ac divinitatem tanquam principia quo in activitate aperitissime praesupponit. Dicit enim Cyrillus repetitis vicibus mortuos a Christo resuscitados esse, non tantum verbo ipsius divino sed etiam cooperatione sanctae suae carnis, quae ob unionem hypostaticam vivifica facta est, »Hanc enim ob causam (sc. unionis hypostaticae) sic Cyrillus« etiam in suscitandis mortuis . . . sanctam suam carnem cooperatricem constanter . . . adhibebat, ut monstraret illam vivificare posse . . .⁴⁸ Et paulo infra: »Itaque non solum verbo . . . sed ut monstret, corpus proprium vivificare posse . . . mortuos tangit et per idem iam corruptis vitam immitit.«⁴⁹ Quin immo textus de resuscitatione filioli principis synagogae, qui est in quaestione et cuius sensum praecise inquirimus, asserit »unam et eandem activitatem per utrumque manifestatam fuisse sc. non modo per Christi divinitatem — quod per se clarum est et per se intelligitur — sed etiam per carnem ipsius, de qua ex professo ibi sermo est. Iuxta Cyrillum igitur una eademque activitas« non est accipienda ut una eademque activitas physica in se sc. in sensu obiectivo utpote ab uno eodemque principio quo procedens — quod certe haereticum esset asserere.

Quae ultima assertio nostra comprobatur ex fine, quem Cyrillus in citato commentario prosequitur et ex argumento, quo ad eundem finem attingendum utitur. Cyrillus Alexandrinus nempe totus in eo est, ut ostendat veritatem eucharisticam verborum Christi apud Joannem

⁴⁸ Migne, P. gr. 73, 577.

⁴⁹ Ib.

6.54. Ad quem finem obtinendum argumento utitur christologico et quidem argumento ex sequelis unionis hypostaticae respectu habito ad humanam Christi naturam, ita ut ipsa humanitas Christi principale sit obiectum de quo Cyrillus in eodem commentario ex professo sermonem instituit.

Cyrillus Alexandrinus citando verba Christi apud Joannem 6.54 subiungit: »Expertes enim et vacui plane vitae . . . remanent, qui per mysticam eulogiam Filium non susceperent. Vita est enim (sc. Christus) secundum naturam in quantum et ex vivente Patre genitus est sed nihilominus etiam corpus eius aliquo modo et Verbo cuncta vivificanti ineffabiliter unitum vivificum est; idcirco eius esse reputatur ac velut unum cum ipso (corpore)... Et quoniam caro Salvatoris vivifica facta est utpote unita vitae secundum naturam, verbo scilicet Divino, quando illam (sc. carnem Salvatoris) degustaverimus, tunc uniti etiam nos cum ea vitam hababimus in nobis, quemadmodum ipsa (caro Salvatoris) Verbo inhabitanti (unita).⁵⁰»

Allata itaque demonstratione, iuxta verba Christi apud Jo. 6.54 characterem suum eucharisticum in unione hypostatica eiusque sequelis fundatur, Cyrillus theses suae argumentum comprobatur Christi vita practica dicendo: »Hanc enim ob causam (sc. unionem hypostaticam) etiam in suscitandis mortuis non solum verbo et iussis omnipotentibus Salvator operatur, sed sanctam suam carnem cooperatricem constanter ad hoc potissimum adhibebat, ut monstraret illam (sc. carnem) vivificare posse et (velut) unum quid cum ipso iam factam esse; etenim proprium eius, nec alterius corpus est.⁵¹ Christus igitur in vita sua practica ad mentem Cyrilli propriam suam carnem sc. humanitatem, utpote sibi unitam, tanquam vivificam aestimabat et eamque consequenter etiam in miraculis patrandis adhibebat, uti patet v. gr. ex resuscitatione filioli principis synagogae et filii ex civitate Naim. »Quod si solo tactu sanctae carnis«, concludit Cyrillus Alexandrinus ad veritatem eucharistiyam prouti est apud Joannem 6.54 — »id quod corrup-

⁵⁰ Ib.

⁵¹ Ib.

tum est vivificatur, quomodo non assequemur ditio-rem vivifi-
cam beatitudinem cum eam (sc. carnem) degustaverimus. Eos
enim, qui illam gustaverint, proprii sui boni, scilicet, immor-
tatis participes reddet.⁵²

Uti patet, unio hypostatica secundum Cyril-
lum ratio est, ob quam caro Christi vivifica facta est.
Qua de causa Christus carne sua in miraculis patrandis, v. gr.
in resuscitatione mortuorum utebatur. Ratione eiusdem unita-
tis hypostaticae etiam nos in eucharistia cum carne Christi
vivifica uniti ditioris vivificae beatitudinis i. e. immortalitatis
participes reddimur.

Cyrillus Alexandrinus itaque duas respectu ha-
bito ad humanam Christi natram ex unione hypostatica de-
ducit conclusiones.

Primo: unio hypostatica ontologica ratio est,
ob quam humana Christi natura tanquam distinctum et indivi-
sum principium quo propriarum operatum partem ha-
bet et quidem per modum causae efficientis-coope-
datricis etiam in operibus miraculosis uti est. v. gr. resusci-
tatio mortuorum.

Eadem doctrina Cyrilli, in suo 11. anathematismo con-
tra Nestorium expressa accepta fuit a concilio Ephesino a.
431. can. 11. qui sic se habet: »Si quis non confitetur carnem
Domini vivificatricem esse et propriam ipsius
Verbi Dei Patris, sed velut alterius praeter ipsum, coni-
uncti eidem per dignitatem. aut quasi divinam habentis habi-
tationem, ac non potius ut diximus vivificatricem esse,
quia facta est propria Verbi cuncta vivifica re praevalen-
tis. A. S.«⁵³

Secundo: Unio hypostatica consequenter funda-
mentum ontologicum veritatis eucharisticae de
qua Ioannes cap. 6.⁵⁴ praesupponatur necesse est.

Hisce suppositis facile sensum positivum detegemus,
quo Cyrillus Alexandrinus de una eademque
activitate Christi locutus est.

⁵² Migne, P. gr. 73, 578.

⁵³ Denzinger, Enchiridion, n. 123.

Cyrrillus Alexandrinus ait: »Unde cum filiolum principis synagogae suscitavit dicens: Filia surge, apprehendit manum eius, ut scriptum est: vivificans tum ut Deus omnipotenti iussu, tum vivificans tactu quoque sanctae carnis unam et eandem per utrumque manifestavit activitatem« sc. vivificam.

Quae activitas dicitur »una« et »eadem«, at non sensu physico et obiectivo, utpote ab una Christi natura, ex mixtione divinitatis et humanitatis tanquam tertium quid orta, procedens, cum »per utrumque« manifestata fuisse asseratur, sed quatenus in resuscitatione dicta ratione unionis hypostaticae seu consecratorum unionis hypostaticae ex utraque Christi natura cooperatio physica, i. e. non tantum ex divinitate sed etiam ex humanitate — de qua potissimum in textu allato sermo est, evenisse dicitur.

Humanitas igitur Christi ad resuscitationes miraculosas non tantum moraliter sed physice concurrere dicenda est. Eadem humanitas Christi in resuscitationibus dictis non habuit partem eo sensu v. gr. ut activitatem vivificam Verbi operationibus suis tantum comitaretur; neque per modum orationis divinam voluntatem ad effectum supernaturalem movisse dicenda esset, neque quatenus tactui, verbo et voluntatis divina virtus ad opus supernaturale perficiendum praesto fuerat et sic porro. Humanitas enim Christi eo quod-utpote Verbo cuncta vivificanti unita-vivifica facta sit, in resuscitationibus dictis physice partem habuit, i. e. directe easdem produxit.

Itaque interpretationem nostram paucis verbis repetamus: In resuscitatione filiulae principis synagogae etiam humanitas Christi ratione unionis hypostaticae sensu physico partem habuisse dicenda est.

Quibus positis activitas vivifica vel terminative vel reduplicative qua talis i. e. sensu proprio intelligi debet.

Activitas vivifica, seu resuscitationis, uti in toto contextu, ita etiam in ipso textu, quem interpretamur, per utrumque i. e. per omnipotens imperium et iussum divinitatis tum per tactum humanitatis manifestata asseritur. Iam vero resus-

citatio in termino seu effectu potius quam in activitate ipsa manifestari dicenda est. Ergo activitas vivifica hoc loco terminative sumenda apparet.

Activitas igitur vivifica — de qua in textu sermo est — se habet per modum termini vel potius per modum effectus ad duplicem causam. Activitas resuscitationis in fieri, seu activitas vivifica qua talis sensu physico et objetivo, est duplex ratione duarum causarum, a quibus procedit. At activitas vivifica in factum esse est una atque eadem. Unus nempe idemque effectus qua talis, qui de natura sua actus divinae naturae est, sc. resuscitatio filiulae principis synagogae duplicem habet causam i. e. non tantum divinitatem Christi — quod per se patet — sed etiam humanitatem ipsius et quidem ratione unionis hypostaticae — quod Cyrillus Alexandrinus hoc loco ex professo tractat et intuitu veritatis eucharisticae ex Joanne 6.54 demonstrandae longe lateque probat.⁵⁴

Si vero Cyrillus de una atque eadem Christi activitate reduplicative qua tali loqui affirmatur, activitas utpote vivifica divina intelligi debet, sed per utrumque manifestata, quia Cyrillus duplex principium quo vivificum in textu allato inculcat.

Quae tamen interpretatio minus placet.

Resuscitatio enim mortui sine ullo dubio sensu objetivo et materiali per se actus divinae activitatis est et a Cyrillo qua talis asseritur. At Cyrillus totus in eo est, ut humanitatem Christi ratione unionis hypostaticae in resuscitatione miraculosa physice partem habuisse ostendat. Immo ex hac veritate probata veritatem eucharisticam verborum apud Joannem 6.54 deducit, quae iterum humanitatem Christi respicit. Principale igitur obiectum in argumentatione Cyrilli non est activitas vivifica divina sed humanitas Christi ut coordinatum principium quo dictae resuscitationis. Potentia vero divina resuscitationis est medium potius in eadem argumentatione, qua Cyrillus utitur.

⁵⁴ Migne, P. gr. 73, 577.

Qua de causa interpretatio supra allata partem tantum materialem commentarii Cyrilli in Joannem 6.54 continet. Nostra vero interpretatio eundem commentarium ad aequatè exprimere videtur, quoniam non tantum rationem materialem sed etiam rationem formalem argumenti, quo Cyrillus usus est, complectitur.⁵⁵

Quoad rem autem parum refert, quam sententiam teneas.

Ad eandem conclusionem redit eiusdem textus interpretatio, si terminum *συγγενής* etymologicè sumamus et in »eiusdem generis« vertamus.

Secundum hanc interpretationem igitur Christus vivificans tum ut Deus omnipotentius su, tum tactu quoque sanctae carnis vivificans unam et eiusdem generis per utrumque manifestavit activitatem.

Activitas, igitur vivifica dicitur una et eiusdem generis praecise qua vivifica utpote — vi unionis hypostaticae — ab utraque Christi natura ratione physica procedens, i. e. non tantum ex divinitate sed etiam ex humanitate, de qua, uti dictum est, in textu sermo expresso fit.

Quod iterum idem est ac simpliciter dicere: in resurrectione filiolae principis synagogae etiam humanitas Christi ratione suae cum Verbo unionis sensu physico partem habuit.

Quae activitas, uti supra, vel terminative, vel reduplicative qua activitas intelligenda est. Et si reduplicative qua activitas sumatur, eadem activitas utpote vivifica divina et per utrumque i. e. per divinitatem et humanitatem manifestata concipi debet, cum Cyrillus duplex, uti probavimus, principium quo vivificum in textu apertissime praesupponat.

Ex dictis patet eam interpretationem, quae terminum *συγγενής* sensu »eiusdem generis« accipit, ad

⁵⁵ Scholiastes in Collect. cont. Sever. c. 20. ad hunc. Cyrilli locum observat, *συγγενῆ ἐνέργειαν*, nihil esse aliud, nisi unum ἀποτέλεσμα effectum quod a Verbo contactu carnis editum sit; quinimo addendo *καὶ δι ἀμφοῖν* duas naturas propter diversas actiones innuisse. Cfr. n. 37. in Joannem, Damascenum, Migne, P. gr. 94, 1058. — Cfr. etiam Diekamp, doctrina Patrum de incarn. Verbi. Verbi. Münster, 1907, 132.

idem tandem aliquando redire cum illa, quae eundem terminum sensu »eandem« explicat.

Utraque igitur explicatio supposita, quam in commentarium Cyrilli Alexandrini in Joannem 6.54 dedimus, difficultatem omnem quoad unius eiusdemque activitatis sensum e medio tollere videtur, cum idem textus Christi in nostra explicatione tontextus tam antecedentis quam etiam consequentis, tanquam pars integralis et logica appareat. Eadem expositione consequenter confirmata manet versio nostra termini *συγγενῆ* in »eandem« — etiamsi haec versio de se male primo visu sonat — cum Cyrillus, uti constat, hoc imprimis probare intendit: humanitatem partem habuisse in eisdem operibus miraculosis, quae ceteroquin actus naturae divinae sunt. Denique nullum dubium esse videtur, quin commentarii citati exegesis nostra et ideologiae et terminologiae respondeat, qua Cyrillus Alexandrinus in christologia et praesertim in disceptationibus polemicis tum Nestorio eiusque asseclis utebatur. Quod ex diversis videre est locis eiusdem commentarii, in quo idem Cyrillus in asserenda tantopere insistit absoluta unitate et identitate subiecti in Christo, cui caro, sc. humana natura tanquam vera proprietas attribuitur et qui tum in existentia tum in volitione et activitate semper unus idemque recognoscitur.

Transeamus igitur ad secundam disquisitionis nostrae partem, in qua diversorum tum veterum tum recentiorum theologorum de commentario citato explicationes ad trutinam revocantur.

II.

Primo loco recensendus est Maximus Confessor, quem ut praecipuum contra monergetismi et monotheletismi orthodoxiae defensorem historia notat. Interpretatio vero, quam Maximus Confessor de Cyrillo nobis dedit, eo magis respicienda est, quod haud pauci theologi ad eandem provocant, uti v. gr. Petavius e veteribus, et ex recentioribus Scheeben, Stentrup, Schwane, Straubinger, Tixeront et alii.

Loquitur autem Maximus Confessor de eodem Cyrilli Alexandrini textu in Tomo dogmatico ad Mari-

num, diaconum Cyprensem,⁵⁶ deinde in epistola ad Nicandrum, episcopum Cyprensem,⁵⁷ et deinceps in sua cum Pyrrho, patriarcha Constantinopolitano disputatione.⁵⁸

Verba sunt Maximi in Tomo dogmatico ad Marinum diaconum: »Quin et — eiusdem generis atque ex utriusque concursu manifestata — una rursus activitas — ex sententia inclyti Cyrilli non ideo dicta est, ut tollatur essentialis distinctio naturalium operationum, ex quibus et in quibus unus solusque Christus et Deus existit, sed ut perfectissima earum unio conseratur.⁵⁹ Ac videtur magister (sc. Cyrillus) his verbis divinum Dionysium imitatus esse.⁶⁰ Ut enim Christus neque nudus Deus neque simplex homo ostendatur, docuit neque Deum seorsim sine corpore, neque hominem pro lubitu operari, sed Deum incarnatum, propter nos perfecte hominem factum, aequae divina ac humana ratione opera perficere Salvatoremque in mortuis suscitandis, morbis atque languoribus omnibus curandis, non verbo tantum et divinis imperiis operantem inveniri, sed sacram suam carnem veluti adiutricem quandam ad hoc potissimum adhibere properasse. Quod partim ut Deus omnipotenti suo imperio operabatur, rursus autem etiam sanctae carnis sibi personaliter unitae tactu vivificabat, ut monstraret eam quoque vivificandi possidere vim essentiali sua operatione, ad quam proprie tactus et vox et similia pertinent.⁶¹

Unio scilicet operationum in Christo, quae — uti Maximus ait — essentialiter distinctae, inconfu-

⁵⁶ Migne, P. gr. 91, 85, 87, 89.

⁵⁷ Migne, Ib. 101, 103—105.

⁵⁸ Migne, Ib. 344—346.

¹⁹ ... οὐκ ἐπ' ἀναιρέσει τῆς τῶν κατὰ φύσιν ἐνεργειῶν οὐσιώδους διαφορᾶς τῶν ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς ἰπάρχει ὁ εἷς καὶ μόνος Χριστὸς ὁ Θεός· ἀλλ' ἐπὶ οὐσιώσει τῆς ἁπλῆς τοῦτων ἐνώσεως εἴρηται... Migne, P. gr. 91, 85 Terminum *συγγενῆς* vertimus in „eiusdem generis“. Eundem translatore editionis Migne hoc loco vertunt in „affinem“. Versio „eiusdem generis“ versioni „affinis“ seu „eognatus“ praeferenda est, quoniam vocabulum „affinis“ seu cognatus latius patere atque interpretationi Maximi Confessoris, ut ex mox dicendis apparebit, minus correspondere videtur.

⁶⁰ Cf. epistolam, quam Pseudo-Dionysius Areopagita ad Caium monachum scripsit. Migne, P. gr. 3, 1072—1074.

⁶¹ Migne, Ib. 85.

sa e et non separatae i. e. indivisa e supponuntur, ratio est, ob quam Christus ut Deus et homo non tantum divina, sed etiam humana opera perficiebat. Quae unio personalis ratio etiam est, ob quam humanitas Christi vivificari pollebat ita, ut Christus in operibus suis miraculosis eadem humanitate tanquam cooperatrice usus esset.

Hisce suppositis Maximus Confessor verba ipsa Cyrilli explicanda aggreditur dicendo: »Deinde postquam ostendit (sc. Cyrillus) naturales operationes eius, scilicet Christi Dei ex utroque compositi, perfecte incolumes esse (atque servari); nimirum: eius divinitatis operationem per omnipotens imperium, humanitatis autem ipsius per tactum, utramque mutua coniunctione et immeatione omnino unitam esse monstravit ideoque unam activitatem propter ipsius Verbi cum sua sacratissima carne unionem manifestam reddidit, non vero naturalem aut personalem (sc. activitatem). Nihil enim tale locutus est magister, sed potius (sc. activitatem Christi) eiusdem generis censuit ratione partium; partium scilicet, per quas ut dictum est, tum omnipotenti iussu tum manus tactu manifestabatur.«⁶²

Cyrillus igitur secundum interpretationem Maximi Confessoris de una activitate Christi vivifica loquitur, quatenus in resuscitatione filiolae principis synagogae ratione unionis hypostaticae unitatem seu communitatem in cooperatione supponit i. e. simplicem cooperationem utriusque partis, divinitatis scilicet et humanitatis. Activitas vivifica sensu physico non unam esse a Maximo iterum affirmatur. At neque Christo, utpote personae divinae qua tali i. e. divinae Christi naturae exclusive sumpta tribuenda est. Eadem enim activitas vivifica eiusdem generis dicitur ratione utriusque partis, ex quibus procedit i. e. activitas vivifica reduplicative qua talis ab utraque operatione, non tantum a divinitate, sed etiam a humanitate

⁶² ... ἐνέργειαν οὐ φυσικὴν, οὐχ ὑποστατικὴν ... ἀλλὰ συγγενῇ τοῖς μέρεσι δι' ὧν, ὡς εἴρηται, κάτα τε πρόσταγματα πανουργόν, κατὰ τε ἀφήν χειρὸς ἐπιδείκνυτο. Migne, P. gr. 91, 85—88.

Christi procedit, cum humanitas ratione eiusdem unionis hypostaticae ad resuscitationem filiolae principis synagogae, non tantum moraliter, sed sensu physico partem habuisse dicenda est. Sapientissimus itaque, — addit consequenter Maximus, — magister, ut demonstratum est, in ipsa sua sancta doctrina naturales operationes aequae ac ipsas naturas, ad quas pertinent, distinctas etiam post unionem servari docet. Ipsam unionem iterum definit partim de omnipotenti jussu atque tactu, partim de una atque eiusdem generis (operatione) loquendo. Quibus verbis omnem a Christi mysterio et separationem et confusionem magnifice refellit. Qui autem non sic interpretantur sed unam Verbi et carnis eiusdem generis censent operationem, Euthychis et Apollinarii praedicant confusionem. Necesse igitur est in omnibus et sermonem servare integrum et modum dispensationis custodire incorruptum, qua bigae illae pissimae, confusio scilicet et separatio, contra veritatem, irrepant.⁶³

Quoad quaestionem vero, utrum Cyrillus Alexandrinus activitatem vivificam terminative sumptam, an forsitan activitatem qua talem potius in mente habeat, hucusque ex Maximo Confessore clarum non est. Verosimile tamen est, cum non loqui de activitate vivifica terminative sumpta, ut ex epistola ad Nicandrum episcopum et ex disputatione cum Pyrrho, patriarcha Constantinopolitano comprobabitur.

Sed et illa — verbo sunt Maximi Confessoris ad Nicandrum, episcopum Cyprensem — sapientissimi Cyrilli vox — una eiusdemque generis ex utriusque concursu manifestata activitas — magni huius patris intelligentiam sequitur. Nam et ipse naturalium operationum coalitum et unionem per illam docet. Praeclarus enim iste vir monstrare volens carnem quoque Deum esse eiusque naturalem operationem divinam factam esse propter unionem cum Verbo natura Deo eamque maiora quam pro homine perpetrare, quamvis id, quod natura fuerat, esse non desiisset; eodem modo etiam ipsum Verbum hac assumpta propter nos libenter hominem factum esse, et, etiamsi Deus

⁶³ Migne, Ib. 88.

natura erat, humana operatum esse monstrare volens affirmat eum non solum omnipotenti iussu morbis mederi et vivificare, cum non sit nudus Deus, sed quasi cooperatricem quandam sibi ad hoc potissimum sacram suam carnem sedulo sumpsisse; perque eam eiusque tactum et vocem vivificare et curare, ut eam vivificare posse ostendat, quia ipse unum cum ea effectus est per unionem et quia non aliena, sed propria est caro ipsius qui cunctis vitam tribuit. Idcirco et unam suam atque eius, scilicet sanctae suae carnis et eiusdem generis per utrumque manifestat activitatem: unam ratione unionis, eiusdem generis autem ratione partium, quoniam eadem est tum in omnipotenti iussu, tum in tactu sanctae carnis. Utriusque enim concursu Verbum ut Deus eam manifestam reddebat.⁶⁴

Quo loco, uti patet, argumentatio eodem modo progreditur uti in epistola supra citata ad Marinum diaconum.

Activitas vivifica dicitur una quatenus ratione unionis hypostaticae unitas seu communitas in cooperatione i. e. simplex cooperatio utriusque Christi naturae ad resuscitationem filiolae principis synagogae causandam supponitur. Activitas vivifica dicitur porro eiusdem generis ratione utriusque partis, per quas manifestata fuit, quatenus praecise qua vivifica ratione eiusdem unitatis hypostaticae non tantum in omnipotenti iussu sed etiam in tactu sanctae carnis extitisse asseritur.

Eo quod etiam sua carne — prosequitur Maximus — vivificabat, eam quoque vivificam omnino factam fuisse ostendebat non aliter ac ferrum candens, quod eam

⁶⁴ Τὴν γὰρ τῶν φυσικῶν ἐνεργειῶν αὐτὸς, συμφύταν καὶ ἐνωσιν δι' αὐτῆς ἐκπαιδεύει... Διὸ καὶ μιὰν αὐτοῦ καὶ αὐτῆς, φησὶ τῆς ἁγίας σαρκὸς, καὶ συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδεικνύει ἐνέργειαν, μίαν μὲν, τῇ ἐνώσει· συγγενῆ δὲ πάλιν, τοῖς μέρεσιν, ὡς τὴν αὐτὴν ὄσσαν, ἐν τε παντοῦργῳ προστάγματι, καὶ ἀφ' ἧς ἁγίας σαρκὸς δι' ἀμφοῖν γὰρ, ὡς Θεός, ὁ Λόγος ταύτην σαφῶς ἐπιδεικνύει. Migne, P. gr. 91, 101. Secundum Maximum aliud est dicere: unam Verbi et carnis eiusdem generis activitatem — et aliud: unam Verbi et carnis et eiusdem generis per utrumque manifestatam activitatem. Primum tanquam dogma Eutychetis et Apollinarii reiicit. Vide n. 63.

ob causam comburit, quod cum igne unitum est. Unde apparet vim comburendi non igni solun propter naturam eius sed etiam ferro propter suam cum igne unionem tribuendam esse. Similiter in miraculis divina Verbi operatio non ei (Verbo) solum propter naturam sed etiam sanctae carni propter suam cum Verbo personalem unionem tribuenda est. Operis enim sociam eam in divinis adhibebat eodem, ut dicit magister, modo, quo anima proprium corpus ad explenda opera sua adhibet. Haec igitur una atque eiusdem generis et utriusque concursum manifestata activitas, quamvis naturalium operationum unionem monstret, tamen distinctionem earum et duplicatem, ... vi sua proprie significat. Quod ita fit, ut utriusque parte quibus et in quibus unum et solum cognoscebatur Verbum incarnatum, tribuatur, et ita, ut utriusque propria arguatur, quippe quae per utriusque concursum, per omnipotens scilicet imperium et per sacrae carnis factum manifestata est.⁶⁵

Ex terminis vero *„μία et συγγενίς* quibus Cyrillus utitur- secundum Maximum nulla fieri potest difficultas, cum Patres eosdem terminos tum de iis rebus, quae eiusdem sunt essentiae adhibeant, tum de iis, quae diversae sunt essentiae, sed quacunque ratione unita considerantur. Qua de causa animadvertit Maximus: »Igitur non est aequum voces unitatem significantes et genericam indentitatem, quae propter unionem ab iis dicta sunt eo accipi sensu quo distinctiones tollantur eorum, quae sancti duplicia sive diversi ordinis propter distinctionem dixerint, nec voces duplicitatem significantes eo, quo unitas tollatur eorum, quae una praedicaverunt. Is enim qui ita accipit quique non rite et aequae has atque illas amplectitur, sed his ad unionem, illis vero ad naturalem distinctionem iusto plus extollendam abutens, vel dividat omnino vel confundat necesse est, et, ut proprius loquar, se ipsum intricabit atque longius a vera cum sanctis Patribus communiione et confessione aberit. Nam etsi cum Verbo caro unum effecta est ratione personae et unitate operationem suam locupletavit, nequaquam tamen hoc amisit, ut essentialiter cre-

⁶⁵ Migne, P. gr. 91, 101—104.

ata sit, neque ullam prorsus jacturam fecit naturalium et labe carentium affectuum. Quae res si ita se habet, ut et vere se habet, distincta a Verbo tum ipsam naturam, tum naturalem operationem manifeste obtinuit. Hanc autem (carnem) Verbum ut homo possidebat: eius enim erat secundum naturam. Sanguinem et carnem ut nos habebat ideoque duas naturales operationes sicut et duas naturas: divinam et Paternam et nostri similem humanam. Quamobrem unus idemque Deus et homo esse credebatur. Quorum enim naturales operationes, eorum utique etiam naturas obtinuit. Ut enim voce et tactu sanctae carnis aegrotis medendo mortuosque vivificando Deum se natura monstrabat, ita rursus idem essentialiter homo cognoscebatur, dum manu tangebatur, dum linteo praecingebatur, dum pedes lavabat discipulorum, dum panes frangebat et discipulis porrigebat, dum buccellam in catinum intingebat; denique dum voce praesentem tristitiam his verbis exprimebat: »Tristis est anima mea usque ad mortem«, item: »nunc anima mea turbata est«; item: »sic non potuistis una hora vigilare mecum«. In quibuslibet ergo huiusmodi nunquam id, quod alterutri inhaeret naturae, tollit, sed ex naturalibus operationibus naturas arguit.⁶⁶

Maximus Confessor igitur uti videbamus, activitatem vivificam tum in omnipotenti iussu tum in tactu carnis fuisse asserit et divinam Verbi activitatem non esse solum Verbo propter naturam tribuendam, sed etiam carni propter suam cum Verbo personalem unionem affirmat.

Exinde sequitur Cyrilli Alexandrini verba de una atque eadem activitate Christi vivifica a Maximo Confessore non terminative sed sensu reduplicativo i. e. sensu proprio intelligi.

Quod ultimum Maximus Confessor in sua cum Pyrrho disputatione expressis signat verbis.

Quid igitur — interrogat Pyrrhus Maximum Confessorem — Cyrillus Ecclesiae lumen, contraria docuit piae sententiae, quae nunc ex disputatione enituit, cum »unam

⁶⁶ Migne, Ib. 104—106.

et eiusdem generis ex utriusque munere activitatem, a Christo scilicet manifestatam esse dixit.

Maximus Confessor respondet: »Haec ununtiatio non pugnat cum duabus activitatibus; e contra eas arguit. Non enim divinitatis Christi eiusque humanitatis unam esse naturalem activitatem affirmavit, quoniam si hoc fecisset non diceret, neminem, dummodo sanam mentem habeat, unam factoris et facti activitatem esse, sed tantummodo monstrare voluit unam esse divinitatis et cum carne coniunctae et a carne separatae activitatem. Ut, si quis unam esse ignis operationem cum materia et sine materia monstrare cupiens, diceret, ignem sine materia et cum materia urere. Sic et Pater non unam duarum naturarum dixit sed unam activitatem dixit divinam atque Paternam, quae essentialiter Deo Verbo inerat, quippe, qui non solum omnipotenti imperio, id est, corpore non utens, divina signa perficiebat, sicut ipse dicit; quamvis enim post incarnationem eandem operandi facultatem habeat cum proprio genitore operante sine corpore, tamen etiam tactu propriae carnis, haec divina signa corporeo modo exhibebat«.

»Hoc enim significant verba »utriusque concursu«.

Quod autem natura eiusdem generis esse eam, quae verbo et omnipotenti imperio facta est puellae suscitationem, visus reparationem caeci, panum benedictionem, leprosi mundationem cum ea, quae tactu corporea ratione perficiebatur, eo consilio dicit, ut carnem quoque monstret vivificandi habere facultatem, quippe quae propter veram cum ipso unionem sua non vero aliena sit. Per hoc enim utrumque, per imperium scilicet et tactum, divina activitas in ipsis operibus manifesta fiebat nostram humanam passionibus obnoxiam operationem nequaquam ut minorem spernens, sed e contrario ad sui manifestationem adservans. Similiter etiam anima ut instrumento proprio corpore eiusque naturali operatione utens, propria officia atque operationem naturam suam exhibet. Si enim manum extendebat, ea tangebatur, apprehendebatur, lutum miscebat, panes frangebatur; porro, si quaelibet alia, manu vel quovis membro seu parte corporis perficiebantur, naturali operationi humanitatis Christi tribuenda sunt. Hac

enim ille, qui natura Deus erat, cum etiam homo esset in operando ipse utebatur, hac opera divina naturaliter exequiebatur. Itaque ut utrique utraque naturaliter tribuenda esse argueret, Deum se ipsum perfectum uno tamen detracto peccato ostendebat.⁶⁷

Secundum itaque Maximij Confessoris interpretationem Cyrillus »unam activitatem Paternam«⁶⁸ et »unam activitatem divinam, quae per utrumque ... in operibus manifesta fibeat«,⁶⁹ in mente habet.

Maximus igitur etiam in disputatione cum Pyrrho Cyrillum de una Christi activitate non terminative sed reduplicative locutum esse sustinet.

Finita interpretatione, quam Maximus Confessor de commentario Cyrilli in Ioannem 6,54 dat, videamus nunc auctores recentiores, protestantes et catholicos, quomodo ipsi Cyrillum intelligant.

E protestantibus adducimus Krüger et Harnack.

Secundum Krüger Cyrillus de activitate divina animae Christi humanae communicata et per carnem edita loquitur.⁷⁰ Idem fere affirmat Harnack, secundum quem omnes scholae Alexandrinae theologi unam et quidem divinam activitatem agnoverunt, quae in operationibus suis humana natura tanquam puro instrumento utebatur.⁷¹

⁶⁷ Οὐ γὰρ μίαν φύσιν ἐνέργειαν τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ ἔφη, καὶ τῆς αὐτοῦ ἀνθρωπότητος ... ἀλλὰ δεῖξαι βουλόμενος μίαν τῆς τοῦ θεοῦ οὐσαν τὴν ἐνέργειαν, καὶ ἀνευ σαρκὸς, καὶ μετὰ σαρκὸς ... οὐ μίαν τὴν τῶν δύο φύσεων εἶπεν ἐνέργειαν ἀλλὰ μίαν τὴν ἐνέργειαν εἶπε τὴν θεϊαν καὶ τὴν Πατρικὴν, οὐσιωδῶς ἐνυπάρχουσαν τῷ σαρκωθέντι Θεῷ Λόγῳ, καθ' ἣν οὐ παντοσχητῶ μόνον προστάγματι τὰς θεοσημίας ἀσωμάτως ἐτέλει, ... ἀλλὰ καὶ ... ταύτας ἐδείκνυεν σωματικῶς. Ὡς συγγενῶς ἔχειν κατὰ τὴν φύσιν διὰ λόγον, καὶ παντοσχητοῦ προστάγματος γενομένην τὴν ζῶσαν τῆς παιδὸς ... πρὸς τὴν διὰ τῆς ἀφῆς σωματικῶς τελομένην, ἵνα ἀπὸδειξε καὶ τὴν σάρκα ζῶσποιον, ὡς αὐτοῦ κυρίου, καὶ οὐκ ἄλλου ὑπάρχουσαν, τῇ πρὸς αὐτὸν ἀκραιφνεῖ ἐνώσει. Δι' ἀμφοτέρων γὰρ τούτων, προστάγματος φημι καὶ ἀφῆς ἢ δεῖα ἐνέργειαι δι' αὐτῶν ἐγνωρίζετο τῶν πραγμάτων. Migne, P. gr. 91, 344.

⁶⁸ Migne, P. gr. 91, 344.

⁶⁹ Migne, Ib.

⁷⁰ Migne, Ib.

⁷¹ Hauck, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, Leipzig, 1903, 13, 412.

⁷² Harnack, Op. c. 426.

Krüger et Harnack ergo Cyrillum de activitate Christi qua tali per utramque naturam edita locutum esse sustinent. Quae sententia per se nullam difficultatem pateretur, si iidem auctores humanitatem Christi tanquam verum principium quo operationis a Cyrillo affirmari non negarent.⁷²

Praeterea, etsi textus Cyrilli citatus dubius esset, vi legum hermeneuticae secundum alios Cyrilli de voluntate et activitate Christi locos innumeros interpretandus esset. Minime vero liceret uti facit Harnack, ex uno textu aliis despectis generalem de activitate Christi doctrinam Cyrillo imputare.

E catholicis vero auctoribus primo loco nominamus Petavium (1583—1652).

Teste Petavio Maximus Confessor difficultati sibi a Pyrrho, patriarcha Constantinopolitano obiectae satisfacit dicendo Cyrillum noluisse duarum operationum unam profiteri, sed divinitatis dumtaxat operationem unicam fuisse tum ante quam post incarnationem: atque ita Verbum carne factum divinam *ἐνέργειαν*, qualem ante quam homo factus esset et cum Patre communem haberet, per carnem in extraordinariis operibus ac miraculis faciendis explicuisse.⁷³

At idem Maximus — prosequitur Petavius — in epistola ad Nicandrum, aliter Cyrillum, et ut opinor probabilius exponit affirmans unam et eandem vocari actionem naturarum duarum, et cognatam, propter arcissimam eorum copulationem; qua fit, ut, quemadmodum natura hominis assumpta, sic huius actio divina fit, et Verbi propria. Itaque in unam et eandem effectum ambae (sc. naturae) pro captu suo concurrebant, hoc est, in idem opus, et rem effectam, sive *ἀποτέλεσμα*, cuiusmodi erat mortui ad vitam revocatio, vel visus restitutio. Ubi duae omnino efficientiae, et *ἐνεργείαι* ab eadem persona diversis ex principiis emanabant, et in unum effectum conveniebant.⁷⁴

⁷² Hauck, Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, Leipzig, 1903, 13, 412; Harnack, Op. c. 351, 352. Vide n. 38.

⁷³ De theol. dogm. l. 8. c. 13. n. 7.

⁷⁴ Ib.

Nullum est dubium, quin Maximus Confessor in sua cum Pyrrho disputatione textum incriminatum Cyrilli in sensu activitatis vivificae qua talis interpretatus sit. Attamen teste eadem epistola Maximi Confessoris ad Nicandrum missa, ad quam Petavius provocat, Cyrillus activitatem vivificam eandem esse ait tum in iussu omnipotenti, tum in tactu sanctae carnis, et operationem divinam Verbi esse Verbo propter naturam, carni vero propter unionem personalem tribuendam. Cum autem effectus extra causam esse debeat, sequitur Maximum Confessorem etiam in epistola citata de activitate potius vivifica qua tali, quae per divinitatem Christi et humanitatem manifestata est, locutum esse — praesertim cum alioquin Maximus Confessor sibi contradixisse dicendus esset.

E catholicis vero auctoribus recentioris temporis primo loco sermo fiat de Scheeben.

Scheeben primo citat textum Cyrilli, deinde ei commentarium adiungit, quem Maximus Confessor in epistola ad episcopum Nicandrum scripsit. Textum Cyrilli citando terminum *συγγενῆ* in »eandem« vertit, et supra dictam epistolam Maximi Confessoris citando terminum *συγγενῆ* in »coniunctam« vertit ita ut, si allatam Cyrilli textus interpretationem respicias, Maximus Christum in resuscitatione filiolae principis synagogae unam activitatem propter »unionem«, coniunctam vero »propter partes« manifestavisse affirmaverit.⁷⁵

Iam vero, uti ex dictis patet, Maximus Confessor activitatem ratione unionis appellat unam et coniunctam; ratione vero partium eam non coniunctam sed *συγγενῆ* i. e. eiusdem generis appellat, cum activitas vivifica ab utraque parte procedere dicatur.

Etiam Stentrup explicat Cyrillum citata epistola Maximi Confessoris ad episcopum Nicandrum. Terminum *συγγενῆ* vertit Stentrup cum translatoribus Migne in »affinem« nullamque ulteriorem explicationem commentario Maximi Confessoris adiungit.⁷⁶

⁷⁵ Op. c. 882.

⁷⁶ Op. 543.

Schwane aliter Cyrillum et aliter Maximum Confessorem interpretatur.

Cyrillus — ait Schwane — unam atque unicam docuit Christi activitatem, quae ab utrisque naturis causata et iisdem (sc. naturis) affinis est.⁷⁷ Schwane vero, postquam explicationem Cyrilli, quam Maximus dat in epistola ad episcopum Nicandrum et in disputatione cum Pyrrho, patriarcha Constantinopolitano, attulerat ita adiungit: »divina Verbi activitas semper eadem remansit tum ante, tum post incarnationem, extra corpus et in corpore, adeo ut activitas per utrumque causata utpote divino-humana activitati divinae nisi sumptae affinis erat.⁷⁸

Sed activitas Christi, de qua Cyrillus in suo commentario in Ioannem 6, 54 disserit, neque naturis, a quibus procedit et multo minus divinae activitati Christi in se sumptae affinis esse affirmatur.

Rehrmann in opere suo de christologia Cyrilli Alexandrini haec habet: »Cyrillus vult ex una parte utramque operationem eodem tempore processisse, ex altera parte id quod utrique operationi commune est, extollere, nec non utramque voluntatem eodem tempore eundem finem prosecutam esse.⁷⁹

Quae omnia quoad partem tantum Cyrilli mentem exprimunt et formalem argumentationis rationem, quam Cyrillus adhibet neque attingere dicenda sunt.

Ad mentem Straubinger, qui de christologia Maximi Confessoris opusculum conscripsit, Cyrillus de una Christi activitate communi loquitur, quae per

⁷⁷ Nur einer der Väter, der hl. Cyrill von Alexandrien redet von der Wirkungsweise Christi als von einer einzigen... und nennt sie eine von beiden Naturen verursachte und beiden verwandte Wirkungsweise, die Christus der Herr gezeigt habe. Op. c. 395.

⁷⁸ ... die göttliche Wirksamkeit des Logos sei immer dieselbe geblieben, vor wie nach der Incarnation, ausser oder in dem Fleische, so dass also die von beiden hervorgebrachte Wirkungsweise als eine gottmenschliche verwandt gewesen sei der göttlichen Wirksamkeit an sich«. Op. c. 395. Op. c. 395.

⁷⁹ Cyrill will durch das *μία καὶ ἀνθρώπινη* einmal die Gleichzeitigkeit, dann aber das Gemeinsame der beiden Thätigkeiten, sowie die gleichzeitig gemeinsame Willensrichtung auf das Ziel hervorheben. Op. c. 297.

utrumque sc. per divinitatem et humanitatem manifestatur. Idem Straubinger commentarium Maximi Confessoris in Cyrillum sequenti modo illustrat: »Sanatio et vivificatio est una activitas divina, communicata per humanitatis operationem, una igitur activitas totalis in qua duplex operatio, divina scilicet et humana distinguenda est, sed ita ut divina operatio in humana operatione vestita concipiatur.⁸⁰ In miraculis Christi — explicat Straubinger Maximum Confessorem reassumendo — divinitas et humanitas simul operantur, ut unum effectum communem perficiant. Qui effectus communis etiam in fieri, revera una activitas est, sed haec una activitas modo duplici ponitur et modo duplici ab utraque natura peragitur, modo qui utrique convenit i. e. a divinitate per omnipotentis imperium et a humanitate per tactum. In utraque sc. natura est vis vivifica⁸¹.

Cyrillus igitur secundum Straubinger de una activitate communi loquitur, quae per utramque Christi naturam manifestata est. Iam vero hisce verbis sola unitas seu communitas cooperationis utriusque naturae, asseritur, cum de natura eiusmodi cooperationis ex parte humanae Christi naturae Straubinger ex Cyrillo nihil deducat.

Res vice versa se habet respectu habito ad Maximum Confessorem. Idem Straubinger enim commentarium Maximi Cyrillum afferens cooperationem utriusque naturae in activitate vivifica explicat quidem i. e. dicit activitatem vivificam qua vivificam ab utraque

⁸⁰ Das Gesund- und Lebendigmachen ist also eine durch menschliche Tätigkeit vermittelte göttliche Handlung, also eine Gesamthandlung, innerhalb deren wieder eine doppelte Tätigkeit zu unterscheiden ist, die göttliche und menschliche, aber so, dass jene in diese eingekleidet ist. Die Christologie des hl. Maximus Confessor, Bonn, 1906, 78.

⁸¹ Bei den Wundern Christi arbeiten Gottheit und Menschheit zusammen, und ihre Arbeit zielt auf Einen Gesamterfolg hin. Dieser Gesamterfolg auch schon in seinem Werden, z. B. bei einer Heilung des Heilen, bei einer Totenerweckung das Beleben, ist tatsächlich eine Tätigkeit. Aber diese Eine Tätigkeit wird von Christus zweimal gesetzt, auf zweifache Art ausgeführt, von jeder Natur auf die ihrem Wesen entsprechende Weise, von der Gottheit durch den Allmachtwillen, von der Menschheit durch das Berühren. In ebiden liegt die Wunderkraft. Ib.

Christi natura procedere, sed obscuritate laborat Straubinger, quatenus non ostendit quam ratione secundum commentarium Maximi activitas Christi vivifica una appelletur.

Secundum interpretationem, quam Lebon dedit, Cyrillus diversitatem in operibus Christi admisit, sed duas Christi activitates non docuit. Ex hoc quod Cyrillus diversa opera divinitatis et humanitatis extollit, nullo modo — asserit Lebon — sequitur Cyrillum duas Christi activitates propugnasse.⁸² Activitas »duplex«, quam Cyrillus Christo attribuit, minime duas Christi activitates significat.⁸³

Cum Cyrillus enim terminos *φύσις* et *ὑπόστασις* synonyminos habeat, *κίνησις ενεργητική* i. e. motus operativus, quo Christus effectus producit diversos seu *ἐνέργεια* i. e. activitas Christi — deducit Lebon — ratione agentis unica et divina est, etiamsi quandoque carne tanquam cooperatrice utebatur. Unitas ergo est in agente et in motu operativo, per quem Christus effectus diversos producit. Effectus vero sunt multiplices et diversi ordinis, qui Deum et hominem in uno eodemque individuo ostendunt.⁸⁴

Libenter concedimus Cyrillum vi propriae suae terminologiae termino »duplex« activitas non habuisse in mente duas Christi activitates formaliter quod duas. Nihilominus certo constat eum unum principium quod voluntatis et activitatis in Christi ex una parte et opera divina

⁸² Il ne suffit pas de montrer que, d'après Cyrille pose à la fois des actions divines et des actions humaines... pour se croire autorisé à conclure que Cyrille enseigne deux activités du Christ (deux — *ἐνέργεια*) Op. c. p. 455—456.

⁸³ Il ne s'agit de montrer que Cyrille enseigne un double aspect de l'opération du Christ... ni même une activité double... car cette dernière expression n'a pas le sens qu'aurait l'affirmation de deux activités, elle equivaut simplement à... *ἐνέργεια* de la *φύσις σύνθετος ου σεσαρχωμένη*. Op. c. 456.

⁸⁴ En christologie, la — *κίνησις ενεργητική ου ἐνέργεια* — devait être unique et même condition que l'agent (*ἐνεργών*), c'est à-dire divine, bien que s'exerçant aussi parfois par le moyen de la chair. L'unité est dans l'agent, et dans le mouvement opératoire par lequel il produit des effets; ceux-ci sont multiples et d'ordres différents (*δευραρετή, ἀνθρώπινα*), et manifestent ainsi le Dieu et l'homme dans un seul et même individu. Op. c. 457.

et humana ex altera parte docuisse. In iisdem vero operibus divinis et humanis potius principia quibus voluntatis et activitatis Cyrillus includit, cum de iisdem principiis utpote agnitis, quaestio non fuerit. Quod praesertim clare ex verbis Cyrilli, ad quae Lebon provocat, apparet: »Ostenditque duplicem activitatem, patiens ut homo, agens ut Deus, idem semper. Non enim est aliud et aliud sed aliter atque aliter«. ⁸⁵

Praeterea ex dictis a Lebon sequitur, Cyrillum doctrinam proposuisse, secundum quam de una atque eodem Christi activitate, immo de una et divina Christi sensu pure et simpliciter subiectivo sermo fieri posset.

Activitas scilicet Christi sensu pure et simpliciter subiectivo una atque eadem diceretur, quatenus tota omnino activitas Christi, i. e. omnes operationes tum divinae, tum humanae, tum mixtae i. e. ab utraque natura quocumque concursu sive morali physico praesupposito — a Christo utpote ab uno et eodem principio quod — et non a duobus peragi concipiuntur. Hoc sensu etiam sermo esse posset de una atque eadem activitate Christi divina, quatenus scilicet persona Christi divina non tantum divinarum, sed etiam humanarum operationum subiectum est. Id est operatio Christi de natura sua in se sensu obiectivo humana ratione personae divinae a qua procedit, divina appellatur. Omnino idem valet de operationibus Christi mixtis, quae sensu explicato divinae appellari possent.

Iam vero Cyrillus talem doctrinam generalem nusquam proposuit. Textus autem incriminatus, uti monstravimus nihil aliud dicit (nisi rem valde simplicem) humanitatem scilicet Christi ratione unionis hypostaticae in resuscitanda filiola principis synagogae cum divinitate physice partem habuisse. Cyrillus igitur non loquitur de una atque eadem activitate vivifica Christi sensu pure et simpliciter subiectivo, praesertim cum unitas subiecti simpliciter sumpta de se ad summum morale coope-

⁸⁵ Migne, P. gr. 72, 937.

rationem in eodem poscat miraculo, sed sensu obiectivo, quatenus ratione consecratorum unionis hypostaticae, cuius vi humanitas Christi vivifica facta est, vel unus idemque effectus in se, sensu sc. obiectivo divinus vel activitas in se, sensu obiectivo divina, ab utraque Christi natura sequi dicenda est.

Quod demum de ceteris ab ipso Lebon conceditur, qui in nota, ad explicationem suam nobis supra allatam aliter se exprimit dicendo: Textus *μίαν καὶ συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδείκνυσι τὴν ἐνέργειαν* assignat potentiam, activitatem divinam, quam Verbum cum carne cooperatrice edidit.⁸⁶

Iam vero haec activitas divina etiam a Lebon — in se i. e. sensu obiectivo divina accipitur, et non tantum pure et simpliciter ea ratione, quod a subiecto divino procedat.

Alia utique quaestio est, utrum forsitan Cyrillus ideologia sua nec terminologia christologica, uti etiam citato commentario in Ioannem 6, 54 ansam praebuerit posterioribus monothetismi fautoribus, qui ad Cyrilli auctoritatem provocantes unam Christi voluntatem et activitatem — et etiam divinam — sensu pure subiectivo, contra omnes, quos nestorianismi asseclas habebant, defendendam assumerent.

Quae sine dubio accidisse, etiam nos, uti infra patebit, apertissime sustinemus.

Tandem Tixeront Cyrillum explicat dicens: »Agitur de potestate vivifica Verbi, quae in carne manifestatur, quatenus caro operationi eius divinae tanquam cooperatrix adiungitur.«⁸⁷ Maximum Confesorem vero interpretatur verbis: »In hoc casu una tantum est actio totalis sensu morali sumpta, a qua unus producit effectus, qui utriusque naturae tribuendus est.«⁸⁸

⁸⁶ Le texte... marque la puissance, l'activité divine exercée par le Verbe avec chair comme opératrice. Op. c. 457. Omnino idem dicendum de Tixeront, secundum quem Cyrillus *ἐνέργειαν* ab hipostasi seu persona sese ad terminum movente non distinguebat. Op. c. 77. et. n. 2.

⁸⁷ Il s'agit ici de la puissance vivificatrice du Verbe, qui se manifeste en associant la chair comme *συνεργάτην* à son opération divine. Op. c. 77.

⁸⁸ Dans ce cas, il n'y avait moralement qu'une action totale, produisant un effet unique, encore qu'une part en revint à chacune des natures. Op. c. 190.

Tixeront igitur Cyrillum explicat cum Lebon, Maximum vero Confessorem cum Straubinger.⁸⁹

Antequam finiverimus, duo adhuc textus Cyrilli Alexandrini sumemus, ad quos monotheletae provocant.

Paulus, patriarcha Constantinopolitanus, ad verba, uti initio diximus, provocat, quae Cyrillus in apologia quarti

⁸⁹ His illos adiungimus theologos modernos, qui de eodem Cyrilli textu interrogati a nobis, per litteras opinionem suam communicaverant.

Ita v. gr. Chr. Pesch: »Bei den Wundern Christi wirken Gott und das Fleisch zu einer einheitlichen Handlung, die zugleich göttlich und sinnfällig und darum unserer geistig-sinnlicher Natur verwandt und angepasst ist. Christus zeigt bei den Wundern »eine einzige und zugleich (uns) verwandte Tätigkeit.« In miraculis scilicet Christi — putat Chr. Pesch — Deus et caro unite operantur in una activitate, quae divina et sensibilis est atque hac de causa naturae nostrae spirituali et sensibili affinis et congrua. Christus in miraculis unam unicam et (nobis) affinem manifestat activitatem.

Attamen terminus *συγγενής*, quem Cyrillus loco citato adhibet, ad *διὰ φύσιν* refertur, i. e. ad divinitatem Christi et humanitatem, minime vero ad nostram naturam. Praeterea eadem interpretatio cooperationem tantum utriusque naturae in activitate vivifica explicat, sed non ostendit, quae ratione humanitas Christi secundum Cyrillum ad miraculum efficiendum concurrat.

Bardenhewer ait: »eine und übereinstimmende Tätigkeit, d. h. eine Tätigkeit insoferne, als das menschliche Tätigsein dem göttlichen Tätigsein entspricht.« i. e. Christus secundum Cyrillum unam et congruam activitatem manifestavit; unam scilicet activitatem, quatenus humana operatio divinae correspondet operationi.

Haec quoque interpretatio tantummodo utramque Christi naturam in activitate vivifica partem habuisse ostendit. Nullum utique dubium est, quin in miraculis Christi inter divinitatem et humanitatem harmonia maxima praesupponi debeat, sed eadem harmonia demonstrata, mundum apparet, quam ratione ad mentem Cyrilli humana Christi natura in miraculis patrandis partem habuerit.

Bartmann censet: »Er zeigte, dass es eine und zwar aus beiden zusammengewachsene Wirkung ist.« Christus scilicet unam et ex utroque coalitam activitatem ostendit.

De qua sententia eadem valent, quae de Scheeben et Bardenhewer supra diximus.

Denique secundum Vidauer: »Eine und dieselbe (moralisch), Tätigkeit zeigt (entfaltet) er durch beide« — quod est: Ipse (sc. Christus) unam et eandem (sensu morali) per utrumque manifestat (evolvit) activitatem.

Etiam hanc interpretationem non sufficere, ex dictis clare eruitur.

suorum duodecim anathematismorum contra Theodoretum Cyrensem conscripsit.⁹⁰

Iam vero Cyrillus in eadem apologia dicit, sermones, quos etiam passionis tempore Christus protulerit, ut sunt: »Pater meus si possibile est, transeat a me calix iste« uniceidemque Cristo tribuendos esse, cum omnia, tam divina tam humana, unius Christi sunt. Igitur hic sermo est de una Christi voluntate moraliter sumpta.

Idem dicendum de difficultate, quam Macarius Antiochenus in sexto concilio oecumenico ex Cyrillo proposuit.

In prima nempe sessione eiusdem concilii historia legebatur tertiae synodi Ephesinae. Ex eadem historia etiam fragmentum epistolae legebatur, quam Cyrillus Theodosio imperatori dedicavit. Cyrillus ibi ait: »Firmamentum autem immobile huiusmodi vestri Deo amabilis et religiosi imperii ipse Dominus noster Iesus Christus est; per ipsum enim reges regnant, et potentes decernunt iustitiam, secundum quod scriptum est: est enim eius omnipotens voluntas«. Ad quae Macarius erga Constantinum imperatorem exclamavit: »Ecce domine, ostendi unam esse voluntatem in Christo«.⁹¹

Legati vero papales, uti etiam nonnulli alii episcopi bene animadvertentur Cyrillum loco citato divinam Christi voluntatem in mente habuisse.

Omnes igitur tres textus, ad quos monothetae provocant, doctrinam cum innumeris aliis Cyrillis locis, ubi de Christi voluntate et activitate sermo est, congruentem exprimentur i. e. doctrinam obiective orthodoxam et catholicam profitentur.

Quibus positis confirmata venit assertio nostra initio prolata, theologos scilicet catholicos in interpretatione Cyrilli Alexandrini minime concordare esse. Omnes enim theologi catholici Cyrillum de una atque eadem activitate Christi sensu physico i. e. utpote ab una Christi natura, ex divinitate et humanitate orta, procedenti locutum

⁹⁰ Mansi, Concilia, X, 1025; Migne, P. gr. 76, 413.

⁹¹ Mansi, Concilia, XI, 216.

esse unanimiter negant. Sed in determinando sensu positivo et adaequato integri eiusdem textus iidem auctores, uti constat, quam maxime dissentiunt.

Qua de causa propriam protulimus interpretationem, quam et textum citatum adaequate exprimere et Cyrilli Alexandrini christologiae iure merito correspondere putamus. Immo cum iidem supra nominati theologi etiam Maximum Confessorem diversimode intelligant, etiam de Maximi Confessoris in Cyrillum commentario interpretationem propriam proferre coacti sumus.

Exposita igitur Cyrilli Alexandrini de Christi voluntate et activitate doctrina relinquitur nobis, ut ostendamus, utrum Theodosiani seu Severiani propriam de Christi voluntate et activitate doctrinam Cyrilli Alexandrini auctoritate iure merito fundent.

Eadem quaestio nobis resolvenda necessario videtur, ut certe et clare eruere possimus, quonam sensu inter Cyrillum, patriarcham Alexandrinum et Theodosianos seu Severianos a. 633. unio facta sit, et quonam sensu consequenter monothelismus saeculi septimi, quem dicta unio causavit et in quem etiam Honorius I. papa Sergii culpa incidisse accusatur, intelligendus et diiudicandus sit.

Cyrillum Alexandrinum multi asseclae, praesertim in Aegypto et in Alexandria sequebantur, qui christologiam a Cyrillo acceptam respectu habito ad Christi voluntatem et activitatem paulatim perficiebant.

Idem Cyrillus Alexandrinus duas Christi voluntates et activitates sensu, uti supra dicebamus, materiali potius docuit, cum tunc temporis quaestio non erat ex professo tractanda, utrum una aut duae Christi voluntates et activitates dicendae essent, nec ne. Sed decursu temporis necessitas apparuit etiam de Christi voluntate et activitate claram proponere doctrinam.

Conscientia enim religiosa non est immutabilis sed evolutioni obnoxia. Itaque tempora unis aetatis, teste dog-

matum historia, conscientiae religiosae evolutionem sensu subiectivo magnopere influere et accelerare solent.

Certum est enim ideologiam et terminologiam christologicam Cyrilli Alexandrini ortam et evolutam esse partim sub influxu scholae Alexandrinae, cui Cyrillus adhaerebat, partim sub influxu nestorianismi, quem tam vehementer impugnabat, ut ubique locorum tum ideologia, tum terminologia ipsius universa spiritum antinestorianum prodat.

Ita etiam prosteriores eiusdem scholae Alexandrinae asseclae auctoritate Cyrilli Alexandrini vehementissimam et logam pugnam, non tantum contra Nestorianos, sed etiam contra doctrinam concilii Chalcedonensis, quam nestorianismi accusant, pugnant.

Ut igitur pugna contra nestorianismum occasio fuit, qua Cyrilli Alexandrini christologia formulationibus antinestorianis induta est, ita idem nestorianismus eiusdem scholae Alexandrinae theologis, qui sese Cyrilli Alexandrini discipulos aestimabant, ratio fuit, quod christologia eorum novis locupletata est formulationibus christologicis, quae antinestorianismum produunt.

Theologi enim scholae Alexandrinae magna ex parte ex doctrina concilii Chalcedonensi nestorianismum deducebant i. e. duos esse in Christo Filios concludebant. Duas enim Christi *φύσεις* iuxta eosdem theologos confiteri, Christum in duos filios seorsim existentes dividere significat. Quo posito alter Filius i. e. Verbum, propria tantum, scilicet divina, operatur propriam divinam sequens voluntatem, itemque alter Filius, utpote purus homo, exclusive propria tantum, i. e. humana operatur propriam voluntatem humanam exsequens. Immo Christus, cum divisus et a Verbo separatus sit, natura sua necessario detractat passionem et mortem, quam Verbum ad redemptionem generis humani obtinendam desiderat. Quapropter nulla fuit redemptio et quidem dupiici ex causa: primo cum Christus, uti Cyrillus Alexandrinus docebat, ut purus homo

satisfaciendi atque genus humanum redimendi capax non sit; secundo, quia Christus, ut purus homo, scilicet a Verbo divisus et separatus, natura sua passionem et mortem simpliciter recusasse dicendus est. Si ergo in Christo duas φύσεις esse dicimus, etiam duas voluntates et activitates easque sibi contradicentes i. e. non tantum duo volentes et operantes sed etiam duo contraria volentes et operantes admittamus necesse est.

Qua de causa theologis Alexandrinis dogma soteriologicum iis argumentis defendendum videbatur, quibus unitas et identitas subiecti in Christo etiam in voluntate et activitate demonstraretur.

Id eo facilius accidit, quod Cyrillus Alexandrinus non tantum apso lutam unitatem et identitatem in Christo contra Nestorianos inculcabat, sed etiam de una atque eiusdem generis seu eadem activitate Christi loquebatur.

Una igitur ex parte veritas de apso luta unitate et identitate subiecti in Christo — iuxta illud Cyrilli: »Itaque omnia sunt unius Christi tum ea, quae divina tum ea, quae humana sunt« — et ex altera parte veritas de una atque eadem activitate Christi ex commentario Cyrilli in Joannem 6,54 viam parabant novis formulis christologicis, quibus theologo Alexandrini ex voluntate et activitate Christi utentes dogma soteriologicum defendendum aestimabant.⁹²

Quo loco aliquas tantum formulas christologicas efferre liceat.

Quamvis Christus — dicunt theologo Alexandrini — ex divinitate et humanitate constituatur, non tamen duo sunt Filii i. e. duo seorsim existentes in Christo admittendi, sed unus idemque Christus, qui Deus et homo est, uti Cyrillus verbis μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγον σεσαρκωμένη bene exprimit. Etiam si Christus ex divinitate et ex humanitate compositus est, non tamen a Verbo, quod propria

⁹² Migne, P. gr. 76, 413; 73, 577.

tantum i. e. divina operatur propriamque i. e. divinam voluntatem exercet, homo separandus est, qui etiam propria tantum i. e. humana operatur propriamque voluntatem, i. e. humanam, exercet, cum Christi una sit voluntas et activitas, quatenus unus idemque Christus, qui Deus simul et homo est, tum secundum divinitatem, tum secundum humanitatem vult et operatur. Etenim in Christo non duo distinguendi sunt, quorum alter passionem et mortem delectat, alter passionem et mortem desiderat, cum in Christo una sit voluntas, quatenus unus idemque Christus, Deus et homo, sub influxu divinae voluntatis passionem amplectitur et mortem. Etiam si Christus opera divina et humana perpetrabat, una tamen est activitas Christi, non duae, cum ab uno operatore, ab uno et eodem scilicet Christo, Deo et homine, omnia opera tum divinitatis tum humanitatis procedant atque ad unum eundemque Christum reducuntur.⁹³

⁹³ Similiter Sergius sese in epistola ad Honorium exprimit dicendo: »eo quod unius quidem operationis vox quamquam a quibusdam sanctis dicta est patribus, tamen peregrina videatur, et perturbare aures quorundam, suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuse atque secundum subsistentiam unitarum in Christo Dei nostri naturarum, quod non est unquam, nec fiat. Similiter et duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote a nullo sanctorum et probabilium ecclesiae institutorum edita. Insuper et consequens ei sit praedicare duas voluntates contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate vero eius obsistente eius voluntati et resistente, et perinde duo contraria volentes intrudantur, quod impium est. Impossibile quippe est, in uno eodemque subiacenti duas simul et ergo hoc ipsum contrarias subsistere voluntates.

Sergius igitur locutionem de una Christi activitate rejicit quippe quae unam Christi naturam intelligendam involvit »quod non est unquam nec fiat«. Similiter et locutionem de duabus Christi operationibus multos scandalizare asserit, eo quod duae Christi operationes duos in Christo contraria volentes introducere dicendae sunt, cum locutio de duabus Christi operationibus Christum in duos dividat, quorum Verbum passionem vult, humanitas vero eidem passioni resistit. Impossibile quippe est — repetit Sergius

Theologi scilicet Alexandrini de una atque eadem activitate Christi loquuntur, quatenus ad mentem Cyrilli Alexandrini humanitas Christi — utpote »Verbi propria et non alterius cuiuspiam« i. e. ratione unionis hypostaticae in activitate resuscitationis cum divinitate cooperatione physica partem habuit. Loquuntur etiam de una Christi atque eadem activitate et voluntate, quatenus humana Christi voluntas et potentia ratione eiusdem unionis hypostaticae in harmonia cum divina Christi voluntate et activitate, i. e. cooperatione morali actus suos exercet. Denique loquuntur etiam de una et eadem, immo de una atque eadem divina Christi voluntate et activitate, quatenus omnes Christi volitiones et operationes, i. e. non tantum divinae, sed etiam humanae — abstractione facta quacunque earum cooperatione sive physica sive morali — a Christo utpote ab uno et eodem, vel ab uno et divino subiecto procedunt et ad unum et eundem Christum Deum reducuntur.

Et ita factum est, ut illa simplex veritas, in commentario Cyrilli in Joannem 6,54 conteta, fons esset aliarum formularum christologicarum, quae postea in historia monotheletismi omnes celebres evaserunt.

Omnes istae hisque similes formulae christologicae terminologia monophysitica exprimebantur et christologiae Cyrilli Alexandrini optime adiunguntur.

Quaestio nunc est, utrum nempe Theodosiani seu Severiani iisdem theologis Alexandrinis adnumerandi sint, quorum nuper doctrinam de Christi voluntate et activitate descripsimus.

— in uno eodemque subiecto duas quoad idem obiectum contrarias existere voluntates.

Sergius secundum communem theologorum opinionem ex duabus Christi voluntatibus necessario easdem contrarias esse intulit. Iam vero Sergius, uti ex dictis patet, ex dictione de duabus Christi operationibus, eo quod duae operationes duo supposita in Christo involvunt, duas voluntates in eodem contrarias et perinde duo contraria volentes a multis deduci asserit, quod impium esse existimat.

Si hoc verum est, clare apparet, quonam sensu monotheletismus saeculi septimi, de quo inter Sergium et papam Honorium disceptatio fuerit, accipiendus sit.

Hodie a theologis iam communiter sustinetur Severianos i. e. asseclas Severi, theologi scholae Alexandriae — qui a. 512. Antiochiae patriarcha creatus est — in explicatione unionis hypostaticae terminologia monophysitica usos esse at doctrinam christologicam in se materialiter scilicet sumptam orthodoxam proposuisse.

Quae communis sententia praecipue operibus a Junglas⁹⁴ et Lebon⁹⁵ conscriptis et a nobis supra citatis innititur.

Iam vero exinde a priori verosimile esse^l apparet eosdem Theodosianos seu Severianos etiam quoad voluntatem et activitatem eodem modo locutos esse.

Et revera Lebon in citato opere suo a Severo monotheletismum nominatenus tantum doceri asserit. Omnino idem etiam nos in opere nostro »De Agnoetarum doctrina« novis argumentis demonstravimus ostendendo Theodosianos i. e. asseclas Theodosii, patriarchae Alexandrini et Themistianos seu Agnoetas i. e. asseclas Themistii, diaconi Alexandrini Severi discipulos esse. Themistiani vero a Theodosiani differunt — praeter in doctrina de scientiae aeminae Christi humanae — etiam in eo, quod cum Pseudo-Dionysio Areopagita unam Christi activitatem theandricam contra Theodosianos unam et divinam Christi activitatem docentes profitendam asserebant.⁹⁶

Prolatis itaque supra dictis novis argumentis sequentia adiunximus verba: »Quando monotheletismum et monergetismum, uti a Severio, Theodosio et Themistio docebatur, orthodoxorum fuisse nobis persuasum est, querebimus a nobismet ipsis, posset ne iste monotheletismus et monergetismus in mono-

⁹⁴ Leontius von Byzanz, Paderborn, 1908.

⁹⁵ Le monophysisme sévérien, Lovanii, 1909.

⁹⁶ Marić, De Agnoetarum doctrina, Zagreb, 1914.

theletismum saeculi VII., ergo in Honorii quaestionem aliquam lucem afferre? Fuitne inter Honorium papam et Sergium, patriarcham constantinopolitanum, fortasse sermo de monotheletismo et monergetismo huius generis?⁹⁷

Quod vero doctrinam Theodosianorum seu Severianorum circa unionem hypostaticam attinet, conclusio nostra ab auctoribus, uti sunt: cardinalis Billot, Chr. Pesch, Atzberger, Pohle, Diekamp, Lebreton, W. Koch, Lercher et aliis approbata est. Argumenta vero, quibus a Theodosianis seu Severianis monotheletismum quoad rem orthodoxum doceri probavimus, iidem auctores non reiecerunt.⁹⁸

Sed haec pauca de Theodosianorum seu Severianorum doctrina christologica sufficiant, cum de eadem christologia respectu habito ad doctrinam eorundem de Christi voluntate et activitate specialem monographiam tanquam tertiam quaestionem praevidiam, uti initio diximus, ad Novam Apologiam papae Honorii I. paravimus.⁹⁹

Ex dictis itaque sequitur christologiam Cyrilli Alexandrini eiusque asseclarum speciali respectu quoad doctrinam de Christi voluntate et activitate necessario considerandam esse putavimus, cum monotheletismus saeculi septimi maiore ex parte prima exordia a Cyrillo Alexandrino eiusque asseclis originem ducat.

⁹⁷ Op. c. 102. n. 149.

⁹⁸ Cardinalis Billot in litteris ad nos missis. Dein de Chr. Pesch, *Stimmen der Zeit*, 1914, 2, 171—173; *Praelectiones dogmaticae*, 1922, ed 4 et 5 p. 164—166; Atzberger, *Theol. prakt. Monatschrift*, Passau, 1916, 592—593; Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik*, Paderborn, 1921, 2, 123—124; Diekamp, *Theol. Revue*, 1915, 98—102; *Katholische Dogmatik*, Münster, 1918, 2, 271; Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinité*, Paris, 1919, 154, 535; W. Koch, *Tübinger Quartalschrift*, 1915, 1, 148; Bruders, *Zeitschrift für kath. Theologie*, Innsbruck, 1914, 3, 592—593; Knöpler, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, Freiburg (B), 1919, 184; Lercher, *Institutiones theologiae dogmaticae*, Oeniponte, 1924, 189

⁹⁹ Quae hucusque de Theodosianorum seu Severianorum doctrina diximus, etiam in originem quaestionis de Tribus capitulis novam lucem afferre videntur.

Qua de causa christologia Cyrilli Cyrilli Alexandrini nec non Theodosianorum seu Severianorum in quaestionem de papa Honorio I. novam lucem afferre dicenda est. Quae quaestio nostra quidem opinione non est quaestio de doctrina Honorii quae tali et a sexto concilio oecumenico condemnata, sed quaestio potius de infallibilitate Ecclesiae in facto dogmatico cum epistolis Honorii in eodem concilio oecumenico condemnatis componenda esse videtur.

Verum est utique condemnationem Honorii papae a Leone II. papa mitigatam fuisse. At nihilominus factum historicum explicari debet, qui scilicet fieri potuit, ut papa Honorius a patribus sexti concilii oecumenici Cyro, Sergio, Pyrrho, Paulo etc. adnumeratus esset.¹⁰⁰

Secundum nostram sententiam, uti ex dictis iam facile erui potest, tum supra dictum factum historicum explicari tum infallibilitas ecclesiae in facto dogmatico cum condemnatione Honorii ex parte concilii sexti oecumenici componi videtur.



¹⁰⁰ Mansi, Concilia XI, 355: 613—622, 626—640.